

Medicinalia. Consilia

Text at the top of the page, possibly a page number or title.

Main body of text, appearing as a faint, mirrored bleed-through from the reverse side of the page. The text is illegible due to its orientation and fading.

K-15/60

VINCENTIVS VALGRISIVS

PETRO ANDREAE MATHAEOLO

SENESE MEDICO.

S. P. D.



Rogitanti mihi Petre doctissime quàm ingenti beneficio me astringeris, idque non quod ego aliquid tale promeruerim, sed ex innata benignitate, ac probitate tua feceris, dum multam operam & laborem, quem in Dioscoridis Commentarios impendis, mihi ipsi largiris neque hoc contentus editionem aliam polliceris, & eam quidem latinam, quam impræsenti cum maxima omnium expectatione paras, adiectis herbarum, & animalium imaginibus, adeo ut nihil amplius in eo auctore grauissimo desiderari possit ab aliquo, duo præcipue occurrunt quæ dubium me, & ancipitem reddant, quorum alterum est quod uideam nullo modo fieri posse, ut pro tantis in me collatis beneficiis parem tibi gratiam queam reddere, alterum uero quod summopere uerear, ne ingratus ab omnibus, nisi aliquod signum meæ erga te beneuolentiæ, & grati animi ostendam, diiudicer. His ego difficultatibus diu multumque ueluti fluctibus agitatus, decreui tandem beneuolum, & gratum erga te animum meum aliquo pacto ostendere, non quo tibi satisfacere ullo modo posse existimem, sed quia satius esse duxi aliquid experiri, unde affectio qua te prosequor elucesceret, quàm nihil agendo ingrati tudinis nota inuri. Cum igitur medicinalia Consilia eruditissimi, & nunquam satis laudati uiri Benedicti Victorii Fauentini superioribus diebus imprimenda curarem opere precium me facturum duxi si ea ipsa tibi nuncuparem, ac publice sub tuo nomine ederem,

& hac ueluti statua tibi erecta, meam qua te prosequor affectionem palam declarare. Hoc ego iudicavi tibi quoque fore gratisimum cum abstrusa quadam, & recondita medicinae scientia referta sint, & a qua prodierunt officina dignissima. Erunt illa quoque pignus quoddam amoris in te mei perpetuum, ac ueluti arrabo omnium quae tibi debeo. Hylari fronte igitur, & quo animo ea tibi nuncupo eodem ut ipse accipias rogo & obsecro. Vale vir Doctissime, & me ama, a quo amaris plurimam, ex aedibus nostris. XV. Cal. Iul. M. D. LI.



~~Nr. inw. 21194~~

5-3

IVLIUS PAPA. III.



Otu proprio &c. Cum sicut dilectus filius Vincentius Vaugris bibliopola nobis nuper exponi fecit ad communem omnium tan latine quàm uulgaris Italicæ linguæ studiosorum utilitatem sua propria impensa Commentaria in omnes Diui Pauli Epistolas atq; eas quæ Canonice uocantur per uenerabilem fratrem nostrum Ambrosium Catharinum Politum Episcopum miroriensē, nunc primum in lucem edita & nobis dedicata. Item Medicinalia Consilia ad uaria morborum genera dilecti Filii Benedicti Victorii Fauentini Medici Excellentissimi in Accademia Bononiensi Medicinæ Theoricam profitentis etiam nunc primum in lucem edita. Itē Ethica Aristotelis per dilectum filium Felicem Senensem in linguam etruscam & maternā uera & declarata, ac concepta dilecti filii Hieronymi Garimberti, & alia complurium auctorum per eum collecta quibus quis uti possit ad scribendum familiariter in lingua materna, nec non antiquitates Urbis Romæ a dilecto filio Lucio Mauro Fortunato breuiter descriptas cum descriptione statuarū quæ Romæ sunt tam publicarum quàm priuatarum per dilectum filium Vlixem Aldromandum facta. Item philosophiam naturalem, deniq; philosophiam moralem utraq; in partes quinque diuisas & insuper instrumentum philosophie, ac theorica planetarum omnia per dilectum filium Alexandrum Piccolhomineum etrusco sermone cōscripta ac etiā labores Alphōsi Toscani super tribus auctoribus linguæ etruscæ Dantis Petrarce & Boccacii, & alia quæ in eo libro continentur. Item studium boni principis eodem auctore. Necnon formularium terminorum emendatum cū additionibus compluribus dilecti filii Ioānis Antonii Bozolini Iurisconsulti hætenus non impressa, imprimi face-

re intendat dubitetque ne huiusmodi opera postmodum ab aliis absque eius licentia imprimantur, quod in maximum suum præiudicium tenderet. Nos propterea eius indemnitati consulere uolentes. Motu simili & ex certa scientia eidem Vincentio ne suprædicta opera per ipsum imprimenda per decem annos, post dictorum operum impressionem a quocunque sine ipsius licentia imprimi, aut uendi seu uenalia teneri possint concedimus, & indulgemus inhibentes omnibus, & singulis tan in Italia etiam in Fulginateñ. & Rauenateñ. ciuitatibusque extra existentibus bibliopolis, & librorum impressoribus sub excommunicationis latæ sententiæ. In terris uero. S. R. E. mediate uel immediate subiectis, sub ducentorum ducatorum auri pro una fisco camera Apostolicæ & pro alia medietatibus eidem Vincentio eo ipso applicandis pænis & insuper amissionis librorum quoties contrauentum fuerit ipso facto, & absque alia declaratione incurrendis ne intra decennium ab impressione dictorum operum respectiue computandum dicta opera sine eiusdem Vincentii expressa licentia imprimere, uendere, seu uenalia habere, aut proponere quomodolibet audeant mandantes uniuersis uenerabilibus fratribus minoris Archiepiscopis, episcopis eorumque Vicariis in spiritualibus generalibus, & in statu E. S. R. E. etiam legatis, & uice legatis sedis Apostolicæ, ac ipsius status gubernatoribus ut quotiens pro ipsius Vincentii parte fuerint requisiti, uel eorum aliquis fuerit requisitus eidem Vincentio efficacis defensionis præsidio assistentes præmissa ad omnem ipsius requisitionem contra inobedientes, & rebelles per censuras Ecclesiasticas etiam sæpius aggrauandi aliaque iuris remedia autoritate Apostolica exequantur. Inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis, non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis quibuscunque & præsertim

& præsertim dictis Fulginateñ. & Raccanateñ. Ciuitatibus
super libertatibus & exemptionibus mercatorum quo-
rumlibet, tempore nundinarum eorūdem ciuitati ac alias
quomodolibet editis, concessis, confirmatis, & innouatis
etiam iteratis uicibus Quibus omnibus illorum ueriores
tenores pro sufficienter expressis habentes hac uice dun-
taxat specialiter & expresse pari motu derogamus, cæteris
que contrariis quibuscunque, & insuper quia difficile ad-
modum esset præsentem motum proprium ad quælibet
loca deferri illumque publicare uolumus, & Apostolica
auctoritate decernimus ipsius transumptis, uel exemplis
plenam eandem prorsus fidem ubiq; tam in iudicio quã
extra haberi quæ præsentis originali haberetur, & quòd
præsentis motus proprii absque eo quòd publicetur, aut
in eo data apponatur sola signatura sufficiat & ubique fi-
dè faciat in iudicio & extra, regula contraria non obstãte.

Bernardus Sandelli
Ducalis Not. &c.

1551. Adi 23. di April nel Senato.



He per auttorita di questo Consiglio sia
concesso a' Vincenzo Valgrisio libraro alla
insegna di Erasmo, che niuno altro che lui
senza sua permissione possa stampar, ne
stampate altroue uender in questa città, ne
in alcun'altra città, ouer luoco del Domi-
nio nostro per anni x.li Commentarii del Reuerendo Do-
mino Ambrosio Catharino Vescouo di minori sopra le
Epistole di S. Paulo. Et li Consigli in Medicina di Messer
Benedetto Vittorio Faentino sotto pena a' quelli, che con-
trafaranno di pagar ducati dusento per ogni uolta, iquali
siano diuisi per terzo, cio è un terzo al Magistrato, che fa-
rà la effecutione, un terzo all'Arsenal nostro, & un terzo
alle pouere Monache conuertite. Essendo obligato il pre-
ditto Vicézo di offeruar le leze nostre in materia di stápe.

Bernardus Sandeli
Ducalis Not. &c.

INDEX MORBORVM QVI IN

uniuerso opere continentur.

Ad

A

Articulares dolores.
 Apoplexiam.
 Asthma.

car. xviii
 car. xviii
 clxx. cxcvi. cciii

C

Cerebri affectiones.
 Capitis dolorem.
 Catarrhum. car. cix. cxxx.
 Coli dolorem.
 Crurum dolorem.
 Cruris sinistri tumorē ac dolorē.
 Conceptus abolitionē.
 Coxendicum dolorem.

car. i. xviii. xxvii
 car. lviii. lxi
 cxxxvii. cxlviii cxcvi
 car. ccxi
 car. ccxxiii
 car. ccxxvi
 car. ccxxxv
 car. cclxxvii

E

Epilepsiam.
 Epatis intemperiem calidam.

car. xvii. lxiiii
 car. ccxxi

F

Febrem hecticam.

car. cclxxxiiii

G

Gallicum morbum.

car. cccxii

H

Hydropem.
 Hæmorrhoides.
 Heticam febrem.

car. ccxvii
 car. cclviii. cclxxv
 car. cclxxxiiii

I

Impetiginem.

car. cccv

Melancholiam. car. clxiii. clxviii
Menstruorum suppressionē. car. ccxxxv. ccxxxix
Marasium. car. cccxvii

N

Nasi foetorem. car. cccxxvii

O

Oculorum morbos. car. xxvii

Ophthalmiam. car. li

Oris foetorem. car. cccxxvii

P

Paralyfim. car. xviii

Podagram. car. cix

Phthifim. car. ccix

Polypum. car. cccxxiiii

R

Regium morbum. car. ccxviii. ccxxi

Renum calculum. car. cclxxv

S

Scotomiam. car. lxxiiii

Stuporem

Stuporem. *car. xcv*

Stomachi affectionem, & dolorem. car. ccxi

Sanguinis profluuium ex fede. car. cclxx

Strumas. car. ccc

T

F

V

Vertiginem. car. xviii. LXXIII LXXXIII

Ventriculi debilitatem. car. CCXIII

Vteri praefocationem. car. CCIII

Vteri varias affectiones. car. CCXXXII

Vrinae suppressionē & ardorem. car. CCXLIII. CCLII

Vlcera quaedam. car. CCLXXXIII

FINIS.

BENEDICTI VICTORII FAVENTI-
NI IN CONSILIA
MEDICINALIA.

PREFATIO.



NE QVEO huius meæ Consiliorum lucubrations quoddam substituere subiectum, ne peripateticæ Doctrinæ occurfare uidear. Sanè consultum habetur ex Analyticis posterioribus unius scientiæ unum fore subiectum, cuius, & principia, atque passionnes erunt. Ob quam rem, cum meorum Consiliorum cumulus scientiæ unitatem minime sibi uendicare possit, non dicet quispiam eius unum fore subiectum, nec principia, minusue de eis passionnes. Ob hoc igitur Consilia hæc nostra unum quoddam accumulatione asseremus eorum, quæ specie differentium diuersas hominum naturas explicant, & uarias eorum affectiones, atque loca. Propterea cum affectorum corporum uictus rationes uniuersim fere eadem habeantur. Auctore Galeno in libro, de facultatibus alimentorum, & in libro, de cibis boni, & mali succi, & in particularibus ob læsis corporibus discrimen suscipiant: non ueniam ego accusandus, si in moderatione rationis uictus ægrotantium in generali hisce in Consiliis nostris fere eisdem utar uerbis, dum tamen generalia ad propria ducendo, unicuique ægrotanti pro morbi debito in uictus ratione, quod suum est, adducantur. Neque quempiam mihi obiicere uelim, idem in scientia repetere superuacaneum fore. Quoniam non sumus in unitate scientiæ laborantes circa idem genus subiectum, sed in cumulo operamur consiliorum hinc, & inde ad diuersas æui partes transmissorum,

rum, ut varia in multis morborum genera profligare ualeamus, quæ in iisdem natura, causis, atque symptomatibus plerumque eadem sunt. Quo fit ut ea, quæ ad uictus rationem attinent, & quæ uim morbum profligandi habent, fere in unum coeant, & a nobis pene sub eodem sermone proferantur. Sane & minus accusandus ero, cum omnia hæc ab eodem

scaturiant fonte.



BENEDICTI VICTORII FAVENTINI

PRO ILLUSTRISS. AC REVERENDISS, DOMINO

BERNARDO CLESIO

S. R, E, CARDINALI AMPLISSIMO

Et Tridentinorum Episcopo ac principi opt.

Ad varias corporis D.S, Illustriss.

affectiones,

Cerebri praesertim, et earum quae ex affecto cerebro

contingunt,

Consilium I.



VVM apud nos, Reuerendissi-
me, ac Illustrissime Domine ser-
mo habitus sit de sanitatis Do-
minationis uestrae tutela, atque
morborum curatione, deq; abo-
lēdis symptomatum timoribus,
in quē facile D. V. Reuerendissi-
ma irruere posset: Non ab re eo
in sermone duximus quattuor

speculanda capita: quibus Reuerendissima, ac Illustrissima
Dominatio uestra eam, quam ante habuit ualetudinē, no-
stris salutaribus praesidiis adipisci ualeat.

*Caput Primum. Reuerendissimi patientis naturalem tem-
peraturam totius atque mēbrorum eius, exponit.*

PROFECTO uir Illustrissime, ac Reuerendissime
naturalem temperaturam totius corporis, ac mem-
brorum Dominationis uestrae, in primis dignosce-
re cogemur, quoniam cum Medici ratione certa
operātis scopus sit humani corporis, & eius partium natu-
ram seruare, & quae in ipsum praeter naturam irruunt pro-

A fligare

fligare, Et medicus id assequi non possit, nisi hominis naturam cognouerit: expedit medicum priusquam morbum pellat, seruandam naturam dignoscere. Hunc quippe doctrinæ modum didicimus ex Galeno libro VIII. methodi curatiuæ cap. IX Et primo De Dyspnœa ad principium, & primo artis curatiuæ, ad Glauconem cap. primo. Et à Principe quarta primi, cap. primo. Et si naturalis temperaturæ indicia dignoscere sanè haud facile sit, ut secundo de Temperamētis, cap. VI. nos edocuit Galenus, & nono Methodi, cap. XV. expedit tamen ea perquirere, esto etiā, quòd è profundissimis tenebris eruenda essent, Nempè ea naturalis temperiei neglecta notione, non poterit Medicus idonea medicamenta ægrotanti associare, ob incognitam distantia proportionem intemperiei præter naturam, à naturali tēperamēto totius corporis, atque membrorū eius, qualē esse debere auspiciamur, medicamēti ægrotanti cōtribuenti, ad medicamentum sui generis tēperatum, ut edocuit nos Galenus primo de Dyspnœa. ad principium. & tertio artis medicinalis. Et Princeps quarta primi cap. primo. Porro ut sensus nostri, & ratio dictant, ueluti etiam edocti fuimus uerborum serie doctissimi, ac fidelissimi Dominationis uestræ medici Hieronymi Drogi Parmensis, qui nō modo docte, uerum & exquisitè eius temperaturarum notas, tum ex Galeno, tum ex rationali indagatione adeo percurrit, ut indubiè illam ei fidem donare cogamur, qualē si eam nobis Hippocrates contulisset: Reperimus Dominationis uestræ reuerendissimæ naturalem tēperaturam calidam, humidamq̃. Quo fit, ut si dominantium natura humorū indicia percurramus, ueluti Galenus secundo artis medicinalis, & quarto aphorismorum commento secundo. Et Paulus Aegineta primo artis medēdi libro, cap. LXI. & Princeps secunda primi: & Rasis secundo ad Almanso-rem, & Auerrois quarto colliget, Dominium sanguinis natura uigentis temperaturæ Dominationis uestræ reuerendissimæ

dissimæ associabimus. Cum illa amplitudinem carnis non
 aufugiat. Quippe colore rubro afficitur, & pilorum nigre
 dine molliū tactu, & uiuido colore, & idonea statura, atque
 calido tactu. Hæc inquā indicia uigentis sanguinis adsunt,
 præsertim cū D. V. Reuerendissimæ indicia hæc sequantur
 quæ mox a nobis dicētur. uidelicet quoniā ipsa comis est,
 delectabilis, aspectu placabilis, facie hilaris, amans, concu
 piscens, uenerens, sæpe sudans, & satis ridēs. Hæc quippe iu
 dicium medici firmant, comprobantq̃ sanguinis domi
 nium in totius corporis tēperatura. Quippe si Galeni uer
 bum secundo artis medicinalis comprobamus, ubi ait. To
 tius corporis temperaturam maxime cordis, & iecoris tē
 peraturam in utrisque coeuntem comitari. At in Reueren
 dissima D. V. cōpertum est cor calidum, humidumq̃, atque
 iecur, dubio procul & totius corporis temperaturam, ca
 lidā, humidamq̃ asseremus. Vbi uerò cordis calidi, & humi
 di indicia percurremus, reclusis (ut ita dicata) oculis domi
 natiōis uestræ cor calidū humidumq̃ reperiemus. Hirsuta
 quippe est. D. V. minus quidē his qui calidi, & sicci sunt cor
 dis: ad actiones uerò nihil minus prompta, nō tamē ferus,
 & immitis est animus dominatiōis uestræ Reuerēdissimæ,
 sed ad irā procliuis tantummodo. Consimile inquā iudi
 cium temperamēti iecoris ducemus, si iecoris calidi, humi
 diq̃ indicia permeabimus. Plurimi itaque sanguinis est D.
 uestra reuerendissima hispida quidem tenens hypochon
 dria: & uenas amplas, habitūq̃ calidiorē, atq̃ humidiorē.
 Quòd si Galenū secundo artis medicinalis inspiciamus, &
 Paulū artis medendi libro. I. cap. LXII. quo quippe modo
 certiores nos reddidit D. V. Reuerendissima & uerborū
 ornatus excellētia doctissimi medici, inueniemus aper
 ta indicia caliditatis, humiditatisq̃ unā coeuntium in ue
 stræ D. reuerendissimæ cerebro. Nempe arbitror insigni
 quidem excessu eas qualitates, non quippe ad extremum
 uergentes à propria cerebri temperatura condescendere.

A ii quippe

C O N S I L I V M

quippe cum amplioris humiditatis, quam caliditatis indicia D. V. cerebrum nobis ostendat, facile diiudicauimus maiorem ei humiditatem caliditate inesse. Nempe color bonus adest, & quæ circa oculos sunt, calidiora esse, & oculorum uenas magnas nemo ambigere debet. quippe & excrementorum abundantia, atque plenitudo, & grauitas capitis à calefacientibus, & humectantibus, & ab austro aduersa ualetudo, cum & graui somno D. V. tentetur. Hæc quippe cerebri calidi, humidique indicia esse, quisque opinari habet, Porro quæ de uentriculo calido non planè improportionate humido, indicia à Galeno secundo artis medicinalis, & à Paulo primo artis medædi libr. cap. LXIII. recordata sunt: dubio procul dominationis uestre uentriculo alligari, nullus porro dubitabit, cum exactius coquendi, quam appetendi functionem absoluat, tametsi dura, & coctu difficiliora modeste ingerat. Quippe D. V. cum pluribus delectatur cibus, potibusque, neque quicquam gelidis, si moderatus eorum fuerit usus læditur. sanè huius exemplum trahimus, eam gelidissimis uti uinis, atque in aqua gelidis effectis.

Cæterum si testium naturam D. V. reuerendissimæ coniectari uelimus, iudicio recto dicemus humidum in his calori agglutinari, cum sanè audiuius eos satis hispidos esse, atque genitali admodum semine abundare dominationem uestram accepimus, neque quidem in libidinem proniorem esse biliosos habentibus testes, sed quippe minore detrimento & ueneri præter modum indulgentem magis his, qui eos biliosos tenent, & non equidem sine detrimento à uenereis abstinentem.

Verum enim uero: Reuerendissime Domine. si uerba Principis audierimus, xviii, tertii cap. iiii. Renes dominationis uestræ in calidam irruere temperaturam, nequaquam denegabimus. Id enim indicat urinæ tinctura ad rubrum, uel citrinum, arenoso quippe subsidente sedimine. Quippe &
tactu

tactu caliditas, & insigne coeundi desiderium, non quæadmodum in his, quorum biliosi sunt testes, sed quod magis est in eis uiget caliditas ob desuper proruptum calorem à iecinore per uenas, à corde uerò per arterias ad ipsos, ut habuimus à Galeno de locis affectis capite tertio. &c.

Caput secundum morborum, atque symptomatum essentias, & eorum causas Reuerendissimi, ac Illustrissimi Aegrotantis explanat.



E R V M Reuerendissime Domine Medicus indubitato fallitur, si à prima die morbum non cognouerit: Autore Galeno primo de Crisibus cap. XVI. & XX. Et primo de ratione uictus acutorum, commento tertio, & primo artis curatiuæ ad Glauconem, cap. primo. Quippe dixit Galenus sexto de morbis, & symptomatibus cap. primo non modo sufficere medicum actiones læsas cognoscere, uerum & omnium causas ubi oriantur intelligere oportet. Anno igitur uigesimotertio ætatis suæ D. V. Reuerendissima, contumaci fauente fortuna, Gallica affectione corripitur. quo fit, ut primum iecinoris facultas naturalis imbecillis effecta sit, ob uitiatam ueretri partem carneam à foeda, & malo humore affecta uulua. Porro enim parte carnea uitiatam sanguis corrumpitur, ut sensim ad iecur eius uitium permeet, ipsiusque robur fere prosternat, & humores uitiet atque operationes alentis uirtutis contumaces reddat. Quo fit, ut omnia corporis alenda membra, alimento ipso uitiato corripiantur. ob quam rem perlucide apparet temporis diuturnitate gallicum morbum patientes, in cachecticam irruere habitudinem. Demum neruosa ueretri pars affecta sensim uitium cerebro comunicat, ut non modo eo cerebrum occupetur, uerum & malo alimento, à iam uitiato iecore regatur. Quo fit, ut caput, & ei consocia membra, atque totius corporis omnes neruosæ partes in gallica affectione condoleant, atque scedis bullis nodosisque tu-

berculis. & motus impotentia corripiantur. Vnde fit, ut cerebri facultas imbecillis facta, uitio morbi gallici perpetuo malam auram spirantis, omnibus corporis humani particulis alimentum cerebro delatum concoquere nequeat. Quippe neque fumos, quos ei inferiora membra comunicant corrigere ualeat, ut hos quippe cerebri algore in humidum aqueum ductos, & quod ab eius incôcocto alimēto superfluit, uirtus cerebri expultrix ea desuper deorsum explo dat, aut eadem cerebri facultatem grauantia, atque à cerebri naturæ operibus derelicta, ad modum cadentis aquę guttatim, ad inferiora membra irruunt. Quo fit, ut D. ueltram reuerendissimam & illustrissimam ad secundū genus morbi conducant, quod destillationem Galenus tertio aphoris, commento XII. & III. de symptomatum causis nō longe à fine, & Paulus tertio artis medendi, cap. XXVIII. nominarūt, Et quia ad os excrementū defluit, ut propriori utar uocabulo, catarrho molestatur D. V. Quippe cū ea non immunis sit à defluxu excrementorū ad nares, neque immunis erit à grauedine. i. coryza. Vbi uerò irruentis humoris fluxio in guttur, & asperam arteriam deferatur, brāchum appellant, à quo sanè D. V. non absoluitur.

Nempe harū fluxionū, siue in nares destillando impetū faciant: siue per palatum, os, & fauces corripiant, siue guttur, & pulmonem descendendo afficiant, causa est cerebrum. auctore Galeno tertio de symptomatum causis non longe à fine. Porro similari eius substantia huiuscemodi fluxionis causa est cerebrum. quia ab algore, uel solis ardore ad intemperiem redactum est, Quo fit, ut calore dissolvente, & algore exprimente à cerebro humor deorsum cadat, auctore Galeno tertio aphorismorum commento XII. Audiuius itaque D. V. Reuerendissimam ab Austri, atque Aquilonis tempestatibus admodum molestari, ut nedū in coactis itineribus catarrho corripatur. uerū & mortis periculo detineatur. Quippe et earū fluxio-

num

num cerebrum est causa, ut instrumentum; ut eodē in loco asseruit Galenus quatenus à plenitudine infestatur, ob eius enim facultatis concoctricis imbecillitatem tum contumaci natura gallicæ affectionis, tum mala expirata aura à uentriculo, è ratione uictus male recto, consurgit in eo insignis plenitudo, ueluti continens causa destillationis deorsum è superiori. Atqui quantum ex D. V. accepimus, Treis causas fluxionis humoris à cerebro reperimus: Procatarteticam quidem, quæ sanè est contumax uictus ratio: Præcedentem, & est omnium membrorum natura uitiata ob Gallicum affectū: Continentem uerò, quæ est cerebri plenitudo ex pituita cerebrū grauante, atque eius facultates imbecilles efficiente.

Porro si paulo Aeginetæ fidem, ut decet, adhibuerimus, huiuscemodi destillationis temperaturam, nō quippe simplicem, sed commistam reperiemus, cum non simplicis temperaturæ notæ tantum sensus nostros occupent, sed illæ confusæ, fluxionis qualitatem nobis confundunt, porriguntq̄. Sanè D. V. Reuerendissima plerunque ex æstu destillatione uexatur, cum affectas quasdam partes, calor non nihil sentiat. Quippe & acrium humorū fluxione corripitur, ac tenuium, cum ad os defluunt, atque in gingiuas, & dentes irruunt, quippe & rubor partes faciei, nariumq̄ inficit. Quæ uerò contra sunt notæ algentis temperaturæ signa denunciant, à quibus etiam non immunis est Dominatio tua Reuerendissima, præsertim cum naturæ modus pituitæ fluentis, crassus, hærens, atque glutinosus existat, ut non modo inobediens sit uirtuti pulmonis, & pectoris expultrici, uerum & uolentia quadam uentriculi subuersionem ducit.

Ad hæc Domine Reuerendissime, ac Illustrissime ad hanc cerebri defluxionem ad inferiora membra, symptomata hæc condescendunt. Primum cum per palatum ad os permeat, in quod impetum promptissime facit, in gingiuas,
& dentes

C O N S I L I V M

& dentes influit, & sui quippe acrimonia gingiuas erodit & dentes perforat, suo uero confluxu ad erosi, & perforati dentis radicem, gingiuas inflammat hoc dicente Galeno libro sexto de sanitatis tutela ultra medium, ubi ait. Sane non latet uuam quoque & paristhmia, & parulides, & antiades, & dentium erosiones, & ulcera, & putredines, sanie hanc, quæ a capite in ipsa decidit, consequi. Secundum symptoma est tussis contumax, & laboriosa, ut ea plerunque ob difficilem exitum glutinosæ, & hærentis pituitæ uentri- culus subuertatur, atque oris halitus grauetur. hoc quip- pe fit fluxione cadente in gulam, & asperam arteriã, atque pulmonem. Quo fit, ut eorum uirtus expultrix stimulo afficiatur, & motu tussis ad expellendum excitetur. Ter- tium symptoma est uentriculi insignis concoquendi imbe- cillitas. Si enim in gulam & uentrem fluxio feratur, quæ quidem plus frigida est, in frigidam intemperiem uentrẽ ipsum permutat. Quo fit, ut appetentiam, & concoctionẽ labefactet, ac dubio procul spiritũ flatuosum progignat, ip- sius uentriculi calore imbecilli facti. Quo fit, ut in eo, & pa- riter in aluo dolores, rugitus, cructationes nidorosæ, hu- moris uentriculum grauantis, concreent. horum sanè au- ctor est Galenus sexto de tuenda sanitate ultra medium, & secundo prædictionum commento. xlix. & tertio de sym- ptomatium causis, non longe à libri fine. Quartũ sympto- ma est Iecinoris meatuum obstructio, tum ob uirtutẽ eius concoctricem factam imbecillem, fluxionis casu in ipsum iecur, tum debili eius æstu, quo inconcocti, et frigidi humo- res progeniti, iecoris uasa obstruunt. Huius quippe notas accepimus, è dolore plerunq; iecur infestante, & exigua in eius plaga, tensione apparente: & quod iudicium nostrũ certius reddit, est tumor pedum, quem aperto sensu ue- speris dignoscimus. Quippe huius, & pedum tumoris fo- mentum est è fluxione ad eos irruente, & has uidimus no- tas, causasq; à Galeno secũdo prædictionum libro ad prin-
cipium,

cipium, & quinto de locis affectis, cap. VI. Quintum symptoma est nimius sudor capitis. quod si eius somnus longo temporis spatio nocte producat, eo admodum præcordia afficiuntur, si uero diurno, ac meridiano somno utatur, uentriculo ferme pluribus quam parest cibus repleto non sudore tantum laborat uerum & eo tristatur, & angitur. Nempe huius causam nouimus quarto aphorismorum XLI. ex Hippocrate, ubi ait: sudor multus ex somno factus absq; causa manifesta, corpus uti plurimo cibo significat: si uero cibum non accipienti hoc accidat, scire oportet, quod euacuatione indiget corpus. Quod autem ii sudores magis caput, & præcordia afficiant, causam attulit Gal. iiii. aphorif. com. xxxviii. fore plenitudinem affectarum partium, quam sudores euacuant. Sextum symptoma est, musculorum pectoris, atq; articularum grauedo. Quo fit, ut D. S. Reuerendissima nedum eorum distensionem, uerum & dolorem patiat, & hoc quippe fit multitudine humiditatis ad musculos, & ad artus à capite confluentis, atque eadem grauantis, & dolore afficientis, auctore Gal. iii. aphorismorum, com. xxxi. Sane membri grauitas à multa in eo collecta materia progignitur, ut ait Gal. ii. de ratione uitus acutorum com. x. Septimum symptoma est Renum calculi labor, atq; affectus, Sanè hoc fit fluxione pituitæ, tum à capite per uenas, tum à uentriculi, imbecilli facultate concoctrici, in Renes irruentis, quorum æstu in similem callo substantiam, pituita tenax, & crassa uertitur. hanc sententiam habuimus à Galeno. vi. de locis affectis. cap. iii. & aphorif. iii. com. xxxi. ubi ait. Renes sæpius obstruuntur, & lapides generantur, quãdo tenax uel crassa superfluitas, ibi firmata in similem callo substantiam transierit. Octauum symptoma est atra bilis aucta. quo fit, ut plerunque melancholia, & mœstitia contristetur. Porro ob id quod diximus de suæ Dominationis temperatura bilé hãc atram non quippe ex flaua bile adusta, sed ex crasso sanguine exu

C O N S I L I V M

sto genitam esse non dubitamus, eo fanè modo quem nobis aperuit Galenus tertio aphorismorum comento. XXII. & tertio de locis affectis. capitulo sexto.

Caput tertium edocet predicere de morbi termino, atque eius symptomatum.



Vm prænotionis cognitio non pauca, ad morbi curationem afferat commoda, auctore Galeno primo de ratione uictus acutorum, comento tertio, opere precium esse duximus non modo morbum, atque eius symptomata corrigere, uerum & eorum prognosticum iudiciũ afferre, ut & nobis & ægrotantibus cõmoda contingant. Atq; à Gallica affectione exordium capiemus. Quippe dicemus, cũ hæc morbosa affectio à semine ortum teneat, & his, qui à semine contingunt morbis fixe afficiatur humanum corpus, auctore Galeno primo artis medicinalis: nõ ab re curationẽ haud facilem eius pronunciamus. At quia affectio ipsa principalioribus membris infesta & noxia est, igitur & curationis diuturnitatem, certam tamen salutem bonitate eius temperaturæ Dominationi suæ. Reuerendissimæ pollicemur,

A Catarrho quippe prognosticũ attulit Galenus libro secundo prædictionum comento. XLIX. ubi ait. Itaque grauedines, ac destillationes assiduæ non esse bona indicia, censendum est: præuenientes quidem, eo quòd malis repleat humoribus pulmonem, procedentes uerò morbo si existũt, quia magnam pulmonis affectionem, & ab ipsa caput esse affectum significant. Porro si fluxio à capite calida sit, dixit Galenus sexto de tueuda sanitate, non solũ ad uocẽ ineptæ partes gutturis fiunt, sed etiam grauissima quædam erosio his accedit, ita uerò & pulmo his exulceratur, & morbus, qui Tabes dicitur efficitur: inter initia uerò appetentiam, & concoctionem labefactat. Si uero fluxio gelida fuerit, tarditate in concoctionis, & cruditatem, & acidis ructus creat.

creat. Quòd si etiam corrupta sit, alimentum in corrupte
lam uertit: quæ, ut ait Galenus, uel fumidos, uel acidos,
uel alterius cuiusquam dicibilis, indicibilis ue qualitatis
ructus emittat. Si uerò inferius aluum infestet, & ieiunum,
& crassius intestinum affligat, fit, ut coli, & intestinorum
doloribus patiens contristetur. Quippe si uasa, quæ in me
senterio sunt, & per quæ fit in iecore cibi concoctio, tan
git, & his, & iecori noxam affert. Nempe à Galeno didici
mus libro .iii. de symptomatum causis non longè à fine
in commoda non pauca, in humano corpore fluxio à ca
pite progignere potest. Quo fit, ut intrepida fronte dice
re audeamus catarrho affectos non esse omni periculo tu
tos, sed naufragium prope constitutos. Nam & eius cura
tionem haud facilem putamus, dum id Hippocratis legi
mus, & Galeni. ii. aphorismorum. iiii. Raucedines, & gra
uedines in ualde senibus coctionem non admittunt.

Ab imbecilli uentriculi facultate concoctrici prognosti
cum dixit Gal. lib. vi. de sanitatis Tutela, post principium,
ubi ait. Et exacta uentris concoctione indigent humana. s.
corpora. Quidquid enim in hoc corrumpitur, id toti cor
pori morborum putredinis occasio fit.

Ab atra bile adaucta melancholia mœstitia progigni
tur, ut ait Gal. vi. de locis affectis. cap. i. & eius incremen
to iudicium prognosticum dixit Galenus. iii. de locis affe
ctis cap. vi. uerbum hoc pronuntians. Melancolici magna
ex parte comitiali morbo afficiuntur, & econtra: morbo
comitiali laborantes, efficiuntur melancholici, atq; horum
utrumlibet magis accidit, prout uel in hanc, uel in illam
partem infirmitas repit. Si enim in corpus, Epileptici: si
uero in mentem, melancholici redduntur. Propter hæc,
quia adaucta est, atra bilis, merito Dominatio sua in po
sterum morbum metuit comitiale. At quia caput ple
num habet pituita, in posterum metuit uertigines, ac apo
plexias, iuxta illud Galeni. iii. aphorif. com. xxiii. ubi ait

B ii uertigines

C O N S I L I V M

Vertigines quoque cerebri læsiones consequuntur, sicuti apoplexiæ Nam & hæc passio fit, cum caput repletur pituita. cum his etiam paralyfim futuram metuit D. S. Reuerendissima, quia eius cerebrum cõsimiliter impletur frigido, ac crasso, aut omnino uiscido humore. Dicente Galeno. III. de locis affectis, cap. II, horum trium morborum frigidus, ac crassus, aut omnino uiscidus humor causa ẽ. Porro Dominatio sua Reuerẽdissima magis, magisq; paralyfim metuere debet. quia accepimus eam bina mercurii inunctio- ne perunctam fuisse. Quippe proclamant omnes, crebrum mercurii usum, ad paralyfim ducere. &c.

Caput quartum morbos corrigit, atque eius symptomata procurat.



Orborum Reuerẽdissimi ac Illustrissimi Do- mini Curationis Scopus, uno trium perficit instrumentorum, aut quippe ex his plu- ribus, aut omnibus, auctore Galeno in libro de partibus artis medicæ, summa secunda capit. II. & in libro experimentorum, cap. ultimo. s. uictus ratione, medicamentorum usu, atque manuum opera quam chirugiam apellant At quoniam eorum omnium nobilius instrumentum uictus ratio censetur à Galeno in libro experimentorum, operæ pretium esse duximus D. S. Reuerendissimam in uictus ra- tione instuere. Nam (ita medeus amet) omnium affectio- num atque S. D. Reuerendissimæ symptomatum curatio- nes, & suæ sanitatis Tutela magis, in uictus ratione, quã in aliis medendi scopis consistunt. Igitur quæso, hortorq; D. S. Reuerendissimam sub obseruantia firmamento, quæ à nobis de uictus ratione in hoc salutari consilio conscri- benda sunt, non modo audiat, uerum etiam ut perficiantur operam nauet.

D E A E R E .

Rationem igitur uictus ab aere exordiar, cum ab am- biente nos aere corpus admodum mutetur, auctore Galeno

Galeno libro tertio . artis medicæ , & tertio methodi curatiuæ , cap. octauo & nono. methodi nō longe à fine, ubi ait : Ambiens uerò is est sine quo nec tolli morbus, nec teneri fanitas potest. At primo, de tuenda fanitate, non exiguam inesse uim ipsius tuendæ fanitatis in boni aeris electione ostendit.

Nempe igitur eligat sibi Reuerendissimus ac Illustrissimus Patiens, aerem nō crassum & nebulosum, inclusumq̃ nullum recipiens perflatum, iuxta illud Galeni libro primo. de fanitatis Tutela, nec qui ob stagnum, uel flumen uicinum, nebulosus est aer: nec qui editis undiq̃ montibus in cauo loco clausus, nullum recipit perflatum, suffocans enim, putrisq̃ est, Proinde locum domus accurate sibi præparet, in quo non sit inclusus aer, perflatus defectum sustinens ob illud Galeni uerbum eodem in loco, similis ei, qui in domibus quibusdam est inclusus, in quibus ob putredinem, & perflatus defectum, plurimus aceruatur situs. huiusmodi enim aer omni planè ætati noxius est. aer quoque fumo, uel puluere affectus prohibeatur, cum .n. corpus intrat facultatis animalis transitum tollit, meatuum spiritus obstructione: auctore Galeno eodem in loco. Porro aerem humidum ualde fugiendum existimo qui & itagni, & paludis halitu est infectus: & qui ex Cloacis malam spirat auram, & qui ex animalium, & olerum, & leguminum putredine uitium contraxit, aut fimo coinquinatur. Suo enim halitu caput grauat, & animale spiritum offendit, ut libro primo de Tuenda fanitate dixit Gal. Sed purum aerem, & clarum sibi paret, ne impuritate, & crassitie uires animi obnubilet. Dicente Galeno ut supra optimum aerem censeo, qui prorsus sit purus.

Aer igitur D. S. Reuerendissimæ calidus sit, & siccus non admodum quidem calidus: plus quidem siccus, non sane frigidus, quoniam ex capite destillationibus totum corpus offendit, auctore Galeno. quinto. aphorismorum com. uigesimo

CONSILIUM

uigesimoquarto. Non admodum calidus sit, propter Gale-
 ni uerbum. quinto. aphorismorum com. xxii. Calor extrin-
 secus in capitis dispositionibus facit hæc eadem. s. distilla-
 tiones, igitur calidus esto, quoniam ut dixit Galenus eo-
 dem in loco, capitis grauitates sanat, concoquens, atq; dis-
 soluens quæcunque molestant. Cæterum si natura calidus,
 & siccus aer haberi non poterit, eo in loco, in quo D. S. Re-
 uerendissima moram trahit, aut hybernum affuerit tem-
 pus, Leuibus aromatum suffitibus utatur. considerandum
 quod à me dicitur, leuibus suffitibus, quia à fortibus ca-
 put admodum grauatur & offenditur, ut Hippocrates di-
 xit quinto. aphorismorum. xxviii. suffitus aromatum.
 etcæt. Nam si eum læserit, quod ab aromatibus de fumo
 exit, sola aromatum præsentia in loco mansionis D. S. sit
 contentus ut quod de odore ab aromatibus expirat, quæ
 sua ui aperiunt uasorum orificia obserata, & humorum
 crassitudinem extenuant: & omnibus frigidis, & humidis
 affectionibus corporis peridonea sunt auctore Galeno
 eodem in loco.

Aromata uero sunt cinnamomū: Gariophyllū, nux my-
 ristica, macis, Ambra, lignum aloes, moscus, cortices citrii
 mastix, Thus, Ludanum: & similia, Quippe, si D. S. pergra-
 tum fuerit lucidum ignem inspicere, & potissimum hy-
 berno tempore is fiat ex lignis Rorismarini, Iuniperi, lauri
 & ex similibus. Porro si ex ligno Terebynthi, uel ex illo,
 quod usitato uocabulo Lignum laricis dicitur, ignis accen-
 datur, admodum proderit. Quoniam sui natura crassos,
 & glutinosos corporis humores attenuat, & dissoluit. Cæ-
 terum D. S. hortarer, ut re quapiã modicæ calida caput suū
 muniret. Calor enim extrinsecus atque immodicus ei no-
 xius est, admodum colliquãdo, & ad ipsum caput ab infer-
 nis corporis partibus sursum trahendo, plus uerò frigus
 exprimendo auctore Galeno quinto aphorismorum co-
 mento uigesimo secundo & uigesimo quarto. &c.

P A N I S .

Panis electio sit ex Tritico, quoniam Triticū nedum apud omnes nationes frequētissime, immo cum utilitate usurpatur. auctore Galeno primo de facultatibus alimentorum, capitulo secundo. Ex Triticeis nanque panibus D. S. peridoneus est ille, qui ex tritici simila cōditus est, sincerissimus enim is panis est, naturalia non grauans, non flatuosus, neque deorsum aluum replens, & peroptimè nutrit, auctore, Galeno eodem in loco.

Sitq̄ panis eius non admodum fermentatus. Sui enim superfluo acore, noxius est cerebro & neruis, Sed neq̄ omnino fermento careat ob id Galeni uerbum primo . de facultatibus alimentorum, cap. secundo. At qui omnino fermento caret, nemini prorsus erit accommodus.

Non sit eius Panis salitus propter dictum Galeni . ii. de comp. med. secundum loca, cap. xviii. ubi ait. Sal molestum est propter grauedinem: & potissimum in capite, sitq̄ eius panis non admodum coctus, ut qui cruda, incocta q̄ interiora habet, ambusta uero: obarida, & crustacea exteriora. ignis enim uis in totum panē nequit penetrare, ideoq̄ illum non percoquit, maximeq̄ intimas partes. Dixit enim Galenus primo alimentorum libro. cap. secundo. Is enim deterrimus panis censendus est, & uētriculo inimicus, qui in crustaceis admodum aduritur: in intimis uero incoctus relinquitur. Sic eius Panis recens duorum dierum, ueruntamen calidus non edatur, ob principis dictum secundo canone. capitulo DLXXiii. Panis enim calidus non est naturæ amicus, sitim facit: & natat propter suam uaporosam humiditatem cerebro noxiam.

V I N V M .

Cum sit omnis excessus fugiendus, maxime illum fugere expedit, ex quo non corpori modo, uerum etiam animo damnum accedit. ob quam rem. Cū
D. S. Reuerendissimæ corpori & animo uini potus

CONSILIVM

tus dānum ingerat, nedum haustum gustare suaferim, uerum & omnis uini potionem denegarem, eius nāque corpori noxium est uinum. Quippe uino epoto humectante, atque calfaciente infestos excessus corpori eius adducet, auctore Galeno primo de tuenda sanitate, & in exhortatione ad bonas artes. Profecto cum repleti eius caput sit inutile, uinum autem halitu caput repleat, ut ait Galenus eodē in loco, uinum illi ualde noxium erit, propterea mihi suadeo S.D. potum per idoneum esse debere hydromel in quo decocta sint hyssopus, & saluia calefacientem, & exsiccantem frigidos, & crassos humores, & facultatem cerebri roborātem. auctore Galeno octauo simplicium pharmacorum, cap. CLII. ubi saluiæ, atque hyssopi facultates recenset ac laudat. Nam si quispiam uiderit Galenum tertio de temperaturis D.S. Reuerendissimæ uinum nequaquam ei concedet. Sed dicet quispiā, si Galenus inquit quinto aphorismorū comento quinto uinum qualitate sua sanare eam, quam fecit dispositionem, neruos calefaciendo, atque exsiccando, cur D.S. Reuerendissimæ uinum denegabis? Huic respōdeo quia certius est uinum suo halitu cerebrum percutere, & grauare, cum hoc sit ei peculiare, quā sua qualitate neruos calefacere & exsiccare. ideo tutius est in cerebri affectionibus uinū tollere, quam illis errando tribuere.

Nempe si Reuerendissimi D. atque Illustrissimi ob metū aquæ inter cutem, uel consuetudine, uel inordinata illius appetentia, uel uiolento medicamentorum irritatu ad uini cogar potionem condonandam sit eius uinum album, uel coloris mediocris, imbecillum uirium, ut caput minime percutere ualeat, dicente Galeno primo de Tuenda sanitate. & quinto de locis affectis capitulo quinto. Nam huiusmodi uinum ut uentriculum robustum efficit, ita haud quamquam tentat caput, id quod facere solent ea, quæ ualentiores uires obtinent. &c.

CARNES

CARNES.

Vetustorum itaque pedestrium animantium carnes ca-
uere debet, ut Bubula caro est, auctore Galeno tertio
de facultatibus alimentorum cap. primo ubi ait: Bubula
uero alimentum ipsa quoque non exiguum, nec discussu
leue præstat, sed sanguinem crassiolem, quam par est, pro-
gignit. Quæcunq; igitur pedestria animalia temporis ue-
tustate terrei alimenti naturam sibi concesserint, non opti-
mi sanguinis, sed feculenti, facultati rationali noxii faci-
le sunt procreantia suæ Dominationi noxia ob adactam
atram bilem. quales sunt ceruorum carnes, & capreolo-
rum, arietumq; & uetustorum castratorum. Quippe &
suilla caro omni administrationis modo ei cunctumax exi-
stet. uentriculum enim grauando crassum progignit ali-
mentum, & sui natura haud facile concoctionem recipiens,
auctore Galeno septimo methodi curatiuæ capi. sexto,

Sunt igitur D. S. carnes temperaturæ calidæ & siccæ.
Quo fit, ut auiculæ omnes syluestres in arboribus degen-
tes, ac uictum in siccis locis trahentes admodum ei conue-
niant, ut ficedulæ, Turdi, merulæ, syluestres palumbi,
frigellæ, & huiuscemodi. Quod si domesticæ aues ad mi-
norem siccitatem uergant, condimento parentur, hyssop-
o, saluia, betonica, roremarino, & similibus. Quales
sunt capones, gallinæ, & domestici columbi, carnes Hæ-
dorumq; & uituli, & Iuuenis castrati. Conueniunt quo-
que ei admodum phasiani, perdices, coturnices, Iuuenes
cuniculi, & lepores iuuenes, & potissimum cerebrum pa-
ratum hyssopo, & saluia, longe fugiat aues omnes in a-
quis degentes, cum sua humida temperatura sint D. S. sa-
tis noxiæ, ueluti anseres, & Anates, & consimiles. Agni-
nam carnem ei noxiam pronuntiamus ob id quod humi-
dius alimentum quam par est progignit, auctore Galeno
in libro de cibis boni & mali succi. &c.

C PISCES.

C O N S I L I U M

P I S C E S .

CUm apud Galenum sexto de usu partium. cap. ix. com-
pertum sit, omnibus animantibus Pisces frigidiores
esse, naturaq; humido abundantes. Quippe uictus ratio
hoc in D. S. affectionibus non admittit. Idcirco ei pisces
non concedimus. Illos sanè maxime. qui in cœnosis, &
sordidis aquis uescuntur. Porro & qui in paludibus, & la-
cubus capiuntur. Excrementitia namque & mucosa est ad-
modum eorum omnium caro, auctore Galeno tertio de
facultatibus alimentorum cap. xxiiii.

Fluuiialium uero piscium non adeo ei noxia est caro, &
tanto minus, quanto fluminis aqua rapida, & multiflua
est, ut ipsius torrentis fluxu pisces fatigentur. Quo fit, ut
eorum caro minus excrementis redundet, atque mucosa
reddatur. Potissimum uero eorum piscium caro ei pa-
rum noxia est, qui in puro natant mari, maxime cum uē-
torum difflatu agitatum attollitur. Dixit enim Galenus
tertio de facultatibus alimentorum capi. xxiiii. In silente
namque mari, nullisq; agitato fluctibus tanto piscium ca-
ro uilior est, quanto minus exercitata. Nempe si D. S. Reue-
rendissimæ pisces admittamus, ad memoriam reuocare ue-
lim, eos parare saluia, hyssopo, Iua, betonica, & rorema-
rino, ipsisq; paululum aromatibus ueluti, cinnamomo
paratis.

Salitos pisces ei non dabimus, si Galeni præceptum ob-
seruabimus. secundo de comp. med. sec. loca. cap. xviii. ubi
ait. Sal molestum est, & maxime in cerebro. &c.

O V A .

QUæ ab animantibus oua nascuntur, à Galeno tertio
de facultatibus alimentorum, cap. xxi. inter homi-
num numerantur alimenta, quorum summam nu-
tritionis laudem gallinarum oua, demum phasianorum
obtinuere. Porro cum albuminis uis frigida sit, & glutino-
sa dominationem suam incommodat, solo igitur oui lu-
teo,

teo, D. S. uti non ambigam, sintque oua ex eius comuni esu recentia, & non diu asseruata, hæc sanè recentia facile concoquuntur: diu uerò asseruata, nedum concoctioni pertinacia sunt, sed prauos progignunt succos ob quam rem dixit Galenus tertio de facultatibus alimentorum capite: XXI. uerbum hoc. Recentium porrò ouorum ad uetera, non mediocris est differentia. Quippe optima sunt recentissima, pessima perquandiu asseruata.

Non sint quæ D. S. Reuerendissimæ largiuntur oua cocta. i. dura, ob id Galeni uerbum eodem in loco. Cocta, seu dura difficilis sunt concoctionis, & tardi transitus, crassamque alimoniam corpori exhibent. Quæ sanè cerebro infesta est. Porrò sint tremula, atque forbilia, quæ ei concedimus oua, dicente Galeno: Tremula, molliæue oua, omnium bellissime nutriunt.

Nempe in aqua cocta sint, quæ acceperit oua, ob id, quod in feruentibus cineribus assata, longe tardioris sunt meatus, & crassioris succi. Quippe quæ in sartagine condimento parantur, longius distent à communi esu D. S. ob illud uerbum Galeni, ut supra. Quæ uerò in sartagine ad crassitiem usque friguntur oua, deterrimi omnino sunt alimenti. Dum namque coquuntur, nidorem, ac fumum edunt, succusque ex his prognatus, non solum crassus, uerum etiam prauus, & excrementitius est. &c.

L A C.

L Ac numeradum esse inter cibos, qui ab animalibus proficiscuntur, compertum est à Galeno libro tertio de facultatibus alimentorum, cap. XIII. & in libro de cibis boni, & mali succi. Quòd si D. S. capiti attendamus, dubio procul lac ei denegabimus, iuxta illud Galeni quinto aphorismorum commento. LXIII. Lac uerò, quod bene concoquitur, nutrit, & bonos facit humores, & dum concoquitur, his pariter attollit præcordia, & caput tangit. &c.

C O N S I L I V M

C A S E V S.

Sermo est Galeni tertio de facultatibus alimentorum. cap. XVI. Caseum ex iniecto lacti coagulo formari, quippe dum formatur acrimoniam accipit, totamque humiditatem relinquit. Porro eo magis inueterato crescit acrimonia, & is calidior, atque urentior redditur, concoctionisque contumacior, & deterrimi alimenti procreator. Quapropter à tota rei natura D. S. Caseum minime dandum putamus. Quippe & si facultatis attenuatoriae crassorum corporis humorum caseus sit, plus tamen damni ex succi prauitate, & æstuanti feruore infert, quam crassorum attenuatio prodesse proffit, sanè igitur cum omnium caseorum hoc commune uitium esse soleat, D. S. omnem pernegabimus caseum. &c.

B V T Y R V M.

Cum ex eo, quod in lacte pinguisimum est butyrum progignatur, atque leniendi facultatem sibi acquirat concoquendi, resoluendique uim habeat, auctore Galeno decimo simplicium pharmacorum, cap. XI. forte fortuna D. S. Reuerendissimæ butyrum darem. Quod si ingenti butyri desiderio D. S. afficeretur. butyrum elotum aqua hysopi, uel saluæ non denegarem.

F R V C T V S.

Eos fructus, quos arboreos appellitant, qui hominum cibos adiuuant, auctore Galeno secundo alimentorum. cap. VII. à tota rei natura ad edendum ei non darem. Ii, quorum mollis, atque humidior est consistentia nedum non nutriunt, humidamque ex se alimoniam corpori afferunt, uerum & flatuosam cerebro noxiam. Videmus enim Epilepsiam à solo uento progigni, quales sunt ficus, pira, Poma, Persica, Armeniaca, cerasa, pruna, & huiusmodi. Nempe si, ut pueri uoraci quadam appetentia pulsati, quempiam horum cuperet, maturas ficus, ueluti minoris nocumenti concederem, minus namque prauis succi progignunt.

gnunt omnibus his, qui fugaces, & autumnales uocantur fructus, etsi penitus huius uitii non immunes reddantur ficus, iuxta Galenum secundo alimentorum. cap. VIII. Certè poma, & pira sub feruentibus cineribus cocta aliquando ei non denegarem. Excalfaciens enim ignis, non solum humidum noxium minuit, uerum & spiritum flatuosum sensim excernit, soluitq̄. Verum enim uerò cum solidæ consistentiæ fructus fuerint, qui adstringente ui admodum pollent, eos certè suæ Reuerendissimæ D. non concederem. quales sunt cydonia, mespila, sorba, nuces, & huiusmodi. Ii porrò nedum in transeundo non celeres sunt, uerum & crassum, atque glutinosum succum omnino progignunt, functioni animali infensum. Nempe huius adstrictoria facultatis dulces amygdalæ nihil sortitæ sunt, Quippe abstergendi, & attenuandi ui pollent. Quo fit, ut usu moderato idonea ei comprobentur edulia, & neque caput grauabunt, si post earum a cortice purgationem tribus in calida aqua horis permanserint, & nuces Auellanae adstringentis facultatis ui pollent, ut ait Galenus secundo de alimentis, cap. XXVIII. Quo fit, ut nedum hæ, uerum & iuglandes nuces ei esca efficiatur nocua, cum fluxiones desuper mouentes caput offendant. & c.

L E G V M I N A.

Dixit Galenus primo de potentiis alimentorum, ob id quod legumina nulla gratia, nullaq̄ iucunditate prædita sunt, quippe flatibus admodum uentrè implent, ob hoc ea proculdubio Reuerendissimæ D. s. quoquomodo parata fuerint, ingratas escas pronuntiabo.

O L E R A.

Quæ ex oleribus esitare debet, excalfacientia, atque exsiccantia sint, qualia sunt hyssopus, saluia, betonica, fœniculus, rosmarinus, & huiusmodi. Hæc enim humores crassos, & frigidos, hærentesq̄ attenuant, & abstergunt:

CONSILIVM

& abstergunt: Quæ uerò frigida, & humida sunt temperatura ei inimica sunt, qualia sunt lactuca, endiuiâ, beta, spinachia, malua, & huiusmodi. Neque terræ bulbi, qui mordaci acrimonia præditi sunt, s. d. admittere debet, qualia sunt, Allia, cepæ, ascaloniæ, porri, & huiusmodi, non solum enim tangunt, & percutiunt caput, uerum & pessimi sunt alimenti. Caueat ergo ab his, quæ à proprietate solent Epilepsiam mouere, ut sunt Apium, petroselinum, & fungi.

EXERCITIUM.

Dixit Galenus primo de tuenda sanitate: Humani corporis excogitata dimotio, non solum ad sanitatis tutelam, uerum & bonam corporis habitudinem necessariam esse prisci omnes prædicarunt. Quo fit, ut Reuerendissimæ D. S. plus conueniat moderata dimotio, quàm immoderata quies, & ocium sitq; per loca calida, & sicca; immo arida ne pedes humectentur. &c.

SOMNVS, ET VIGILIA.

Dixit Galenus secundo aphorismorum, commento primo si ambo uidelicet somnum, & uigiliam coniectari uoluerò, hoc fieri secundum innati caloris motionem: somnum quidem ad intima corporis, uigiliam autem ad exteriora natiuo calore permoto. Quamobrem, cum in somno multo, natiuo calore ad intima uocato, ex halitibus multa quantitas capiti ingeratur, quibus facile Epilepsia posset excitari: ideo iubeo Reuerendissimam D. S. non gaudere multo somno, & præsertim diurno, aperta enim fronte ipsum prohibeo. &c.

ACCIDENTIA ANIMI.

DE accidētibus animi dicam, Quòd Reuerendissimus D. S. patiens gaudeat, & non tristetur. Nam mœstitia reuocat spiritus, & calorem ad cor, & exteriora algescunt membra, auctore Galeno secundo de symptomatum causis. Quo fit, ut algor inimicus sit cerebro. Gaudeat igitur Reuerendissima

Reuerendissima D. S. & non tristetur. &c.

REPLETIO ET INANITIO.

Neminem admirari uellem, si uitiosam ciborum, atque potuum satietatem, & malorum succorum simplici uerbo damnari dignoscat. sanè cogor id fateri Galeni uerbo primo aphorismorum, commento tertio ubi ait: Cum enim uasa cibus, & potibus fuerint supra modum repleta, periculum est, ne disrumpantur, aut calor naturalis suffocetur. Quamobrem, quia Reuerendissima D. S. timore mortis terretur, non impleatur: uentres quoque moderatè inanire cogatur, aut cibi, & potus parsimonia, aut sensim cum purgatorii medicamēti euacuatione, qua humorum abundantia non grauentur membra, quod facultati animali admodum noxium est. Nempe eius uentriculus non immoderatè inaniatur, quoniam Inanitus uentriculus aduocat epilepsiam, ut docet Galenus in libro de sectione uenæ. contra Erasistratum, & tu uide. Vnum tamen est, in quo Reuerendissimam D. S. hortor, ut pro uirili utatur attenuante uictu, iuxta illud Galeni in libro de attenuante uictus ratione, ubi ait, eadem etiam hæc attenuans uictus ratio epilepticos quidem paruos, & incipientes penitus sanat: inueteratos uerò, ac consummatos iuuat non mediocriter. &c.

MEDICATIO PER POTIONEM.

CVM à nobis ostensum sit, quali uictus ratione Reuerendissimus ac Illustrissimus Dominus, uti debeat: alteram rem, quæ est per potionem medicatio, aggrediar, quam morbi profligandi facultatem libro primo de sanitatis Tutela Galenus appellat. Nempe quoniam eius morbus diutinus, ut plerique morbi longi ob crassos, lentos, ac frigidos fiet humores. Cumque ob id non facile concoqui possint, ut est Galeni uerbum secundo aphorismorum commēto, XIX. Nam & in patientibus particulis impacti sunt, atque agglutinati adeo, quòd eorum dispositiones
magis

C O N S I L I V M

magis præ duris tumoribus quàm inflammationibus assi-
milantur, ut Galenus eodem sensit in loco. Idcirco cura-
tionis modus affectionis D. S. eadem medicari die non ex-
pedit. Quippe in his eadem medicari die non modo irra-
tionalis, uerum & fallax, atque periculosus est modus. au-
ctore Galeno primo aphorismorum commento. XXII.
Quo fit, ut sensim huiusmodi affectum medicari operæ
precium sit, tum altero die morbi causam concoquendo,
tum concoctum deiiciendo, ueluti edocuit nos Galenus
primo aphorismorum commento, XXIII. & secundo, com-
mento nono.

Nullò igitur planè ductus errore mihi suadeo D. S. Re-
uerendissimam binis medicationibus per anni temporis
spatium medicari oportere. Vna uernali, altera uerò au-
tunnali tempore initiantibus. Quippe huiusmodi medi-
cationes præcauentes erunt morbos, qui futuri sunt, atq̃
curantes illos, qui iam adsunt, ut præcauendi, atque cu-
randi morbos eodem scopo aggrediar.

At quia à docto, & peroptimè experto D. S. Medico Hie-
ronymo Drogo tot, & tanta præsidia D. S. oblata sunt, tum
ad morbi initium tum ad eius processum, sanè mente re-
posita, ut ferè in morbi profligatione nihil remanserit, su-
per quod & ratiocinari, & experiri possim, attamen ut
boni coqui fungar officio, pro huius Reuerendissimi Do-
mini benemerita salute sic loquar.

Initio igitur ueris prætereunte D. S. medicamentis pur-
gari iubeo. Porro purgationibus peridoneum est id tem-
pus, auctore Galeno in libro de sanguinis missione. Verum
quoniam Hippocrates nos edocuit secundo aphorismo-
rum, commento nono. Et Galenus primo aphorismorum
commento. XXIII. ubi uidelicet quis corpora purgare uo-
luerit, oportet fluida facere, mihi nempe assuetudo est
fluidum in primis corpus efficere, medicamento à latiori-
bus uis excrementa eiiciente, ne à prauis eorum flatibus
principalium

principalium vires offendantur atque hæ imbecilliores effectæ proximam morbi causam confocio adhuc calore cōcoquere nequeant. Primum igitur deuoret D. S. uesperipriusquam uentriculum impleatur, quod sequitur.

Floridæ cassiæ recenter eductæ drachmas decem accipito, betonicæ in subtilem puluerem ductæ, drachmam unam, & mediam ei misceto, & bolum conficito, & uoratu dato.

Altero nempe succedente die, priusquam solis ortus ad nos pertingat, antidotum hanc ad D. S. commodam, atq̃ septem non intermittentibus diebus epotam, ac tepidam tribues, crassos sanè ac glutinosos, frigidosq̃ humores concoquit, attenuat, & disrumpit. Quippe & obserata neruorum orificia aperit, & hoc sentiendi, & mouendi facultatem admodum iuuat.

Radicum acori. stecados; herbæ paralyfis, satureiæ, maioranæ, saluiæ, calaminthæ, mentastri, origani. de quolibet quantum manus capere potest accipito. Radicum endiuia, buglossi, fœniculi cuiuslibet. Vnc. med. sumito. Ex his conuenienter coctis cum melle, uel saccharo, fiat syrupus. Demum cinnamomi, gariophyllorum, cubebarū, nucis myristicæ, sem. pæoniæ, piperis nigri, piperis longi, croci, spicæ, zinziberis, anisorum de quolibet scropulum unum accipito, & in subtilem puluerem terito, & in syrupo ebullito. Quippe in lineæ telæ fragmento ligato, & colato. Eo igitur sic utere. Syrupi dicti, Vnc. unam syrupi rosati, oxymellis simplicis, de quolibet Vnc. med. accipito. Aquam scabiosæ, betonicæ, & lupulorum permisceto, & propinato, uel materiam concoques sic, & membra parabis, syrupum de pomis compositum, syrupum de betonica, syrupum de endiuia, syrupum iuiubinum accipito, pondere Vnc. med. pro quolibet. Aquam betonicæ, unguæ caballinæ, & endiuia permisceto, & potui dato. Vel quod admodum laudo, attenta gallica affectio-

D ne, sic

C O N S I L I V M

ne, sic materiam concoquito. Syrupum de pomis compositum, syrupum de fumo terræ, syrupum de endiuia, cuiuslibet. Vnc. med. aquæ distillationis ligni guaicani. Vnc. IIII. permisceto, & propinato. Vel sic. syrupum de betonica, geleniabim zuccharinum myrtinum accipito cū aquis betonicæ, hyssopi, lupulorum misceto, & potui dato. Vel sic. Accipe betonicæ, eupatorii. añ. M. unū, florum boraginis. M. unū & med. sem. endiuia. Vnc. I. sem. citrii drach. II. sem. uiticis, caulium, radicis iridis. añ. drachm. I. dulcis radicis. Vnc. med. bulliant in suffic. quant. aquæ absinthii, & plantaginis ad medietatem, & per colum transfusis ex decocto dent. Vnc. v. in aurora.

Cæterum octaua die, sanè indiciis concoctionis apparentibus, priusquam nox è tenebris ad lucem uertatur, tali purgetur medicamento.

Mannam granatam pondere unius uncia accipito. Diasebesten lenitium, Diasene lenitium de quolibet drachmas tres, confectionem hamec, confectionem dactilorum utriusque pondere drachmæ unius, Reubarbari optimi drachmam unam, & mediam, spicæ gran. VII. sumito. Reubarbarum, & spicam simul in decocto pectorali, in quo bulliant corticum radicum ellebori nigri drachma una, & media, funde secundum artificium. Finitis quippe decem horis fusionis eorum, insigni peracta expressione, soluantur omnia cum eodem pectorali decocto, & potui dantor, consuetudine sanè seruata. quam pleriq; Medici in alui purgationibus seruare solent.

Vbi uero medicamentorum potiones gustum D.S. perturbarent, iuberem, quia sum medicus salutis administrator, eam sequentem bolum ingurgitare.

Agaricum in oxymelite paratum pondere drachmæ unius. Turbith boni tantundem. Reubarbari scropulos quatuor, spicæ gran. quatuor, pulparum sebesten unciam mediam. Zinziberis recentis, drachmas duas accipito, omnia

nia

nia misceto, & in bolum redigito.

Vbi uerò D. S. liberius pillulas ingurgitaret, erunt sanè D. S. Reuerendissimæ commodæ, & peridoneæ, quæ sequuntur pillulæ.

Pillulas cochias almanforis, pillulas de agarico Mesue, pillulas aureas Nicolai, cuiuslibet pondere unius scropuli, Reubarbari medium scropulum, spicæ grana duo accipito. Ex his cum syrupo de stæcade pillulas quinque conficito, & dato. Vel sic. Recip. specierum hieræ simplicis. scropul. ii. agarici præparati. drachm. med. Reubarbari electi scrop. i. fiant pillulæ quinque cum succo rosarum puro. capiat post mediam noctem, & dormiat ad placitum.

Vel sic. Recip. folliculorum senæ. Vnc. med. corticum radicum ellebori nigri drachm. ii. sem. citrii sem. pæoniæ, florum roris marini ana drach. i. aquæ nymphææ. Vnc. vi. bulliant quantum sit satis, & facta expressione in ea infundatur Reubarbari subtiliter incisi, & dissoluti in uino maluatico. Vnc. med. & facta forti expressione, cum ea miscet oxymellis squillitici, drach. vi. lachrymæ abietis, drach. ii. & cum eo madefac Vnc. i. agarici electi subtiliter puluerizati, fiant trocisci scrop. ii. pro singulo, ex quibus duo puluerizentur cum drach. iiii. floris cassiæ, exhibeantur post superscriptam decoctionem præparata materia ita, ut per uices præparetur, & euacuetur ex interuallis moderate.

Nempe, cum excogitata S. D. temperatura menti nostræ occurrat, sanguinis missionem peridoneam esse, tum præcauendo à futuro fieri, tum curando quod adest, auctore Galeno in libro de sanguinis missione: non ab re iuberem cubiti dextri iecorariam secandam fore captis ante purgatorium pharmacum tribus syrupis.

Vbi uerò superiores uenas D. S. tangere negligeret, hortarer, ut ei hirudines uenis hæmorrhoidum iungerentur, bibitis prius purgatorio, atque syrupis.

Cæterum eo temporis interuallo, quo totum uernale

D ii tempus

C O N S I L I V M

tēpus finietur uno cuiuslibet septimanæ die, in noctis medio iuberem D. S. unam de sequentibus pillulis ingurgitare.

Turbith boni, agarici electi cuiuslibet drachmas duas, ellebori præparati drachmam unam, Reubarbari electi drachmam unam, & mediam, zinziberis, spicæ, de quolibet gran. x. sem. pæoniæ, sem. citrii, cuiuslibet drachmam mediam, specierum hieræ simpl. Galeni unciam unam accipito, ex his omnibus in subtilem puluerem ductis addito electuario rosato Mesue, conducatur pasta pillularum, mensura est tertiæ partis unius drachmæ, pillula effecta.

Sed rogauerit quispiam an priusquam tempus uernum terminum suum possideat, nonnullæ apud Italiam naturales Thermæ sint D. S. perutiles.

Huic dicere auderem, si præceptis salutaribus Galeni, & principis assentire cupiam, quæ ex naturali minera sulfurea, atque aluminosa aquæ scaturiunt, indubiè ei peridoneæ sunt, non potu sanè, ob illâ, quam dixi gallicâ affectionem, cui ut experimento edoctus fui, huiuscemodi aquæ admodum noxiæ sunt. Vbi uerò eas aquas ad contexturâ coronalem ex alto cadentes S. D. susceperit, ei insigne præsidium aduenire sanè nequaquam ambigam. Quippe his exquisitè peractis, illis uerò seruatis, quæ ipsi, & simili aquæ cadenti obseruiunt, congruuntq̃.

Igitur intrepida fronte iuberem, priusquam uernū tēpus à nobis effugiat D. S. huiusmodi sulfureas, ac aluminosas thermas aggredi ob crassos, ac glutinosos humores S. D. caput tenentes, & ad inferna membra irruentes, at eæ possidentes uaria uitiorum genera perturbant. horum quippe capitis crassorum humorum & pituitosorum maximum remedium est, eos destruere, & consumere. Porro hoc fit per attenuantia, & abstergentia medicamenta, atque exsiccantia. auctore Galeno septimo de comp. med. s. l. cap. tertio. Quale est sulfur, ut dixit Galenus nono simplicium

plicium medicamentorum. Verum eam aquam ad contecturam coronalem ab alto cadentem, ualentius suscipere iubeo. Quo fit, ut fluxioni fouenti, quod in D. S. Reuerendissima iam uetustum est, salutare remedium cōducatur, eo enim occurſu quod frigidum est alterabitur, & concoquetur, quod crassum attenuabitur, atque capitis uires roborabuntur, ut pituitosum humorem non progignant, procreatumq; soluant. Quo fit, ut à defluxu animalis facultatis organa non grauentur.

Nempe Thermæ conuenientes D. S. Reuerendissimæ sunt quæ in comitatu patauino sitæ sunt, ut Abani, & Sanctæ Helenæ. In comitatu uerò Lucano balnea sunt de corſena admodum D. S. idonea. In comitatu Senensi balnea de Pitriolo, & Sancti Philippi mirabile afferunt iuuamentū.

Vbi uerò D. S. Reuerendissima, & Illustrissima arduis oppressa negociis huiuscemodi naturales Thermas aggredi non posset, iuberem eodem uere D. S. artificiali Ducia submitti debere. Porro ea nedum æquale, uerum & fortè elegantius iuuamentum reperiet. Quippe in eius forma, & modo conficiendi S. D. Medicus Hieronymus Drogus admodum edoctus, atque expertus est. Nos tamen Ducia simplicia dicemus talia.

Suscipere debes florum stæcados arabicæ, stæcados montanæ, cuiuslibet. M.iii. foliorum Lauri, florum lauri, rorismarini, cuiuslibet manipulos.iii. Pulegii, calamenti, serpilli, hyssopi, fileris montani, pæoniæ, betonicæ, maioranæ, saluiæ, fatureiæ, de quolibet manipulos.iii. florum chamæmeli, meliloti, anethi, fœnigreci, sem. lini, absinthii, fœniculi, asari, iuæ, melissophilli, cuiuslibet manipulum unum & med. chamædreos, chamæpityos, cuiuslibet manipulum unum, menthæ, menthastri cuiuslibet. manip. unū & med. rosarum rubearum, florum nymphæruh, baccarum mirti, hypocistidos, gallarum, nucum cupressi, corticum granatorum, cytinorum, cuiuslibet. M.ii.
corticum

C O N S I L I V M

corticum citrii, M. i. polii, spicæ, cuiuslibet manipu. med. ladani, thuris, masticis, nucis myristicæ, gariophyllorum, macis, sandaracæ, cubebe cuiuslibet Vnc. i. sulfuris uiui. lib. iiii. alumnis. lib. iii. falis nitri. lib. ii. Bulliant in corbis quattuor aquæ calybeata uel cum spuma ferri secundum artem; & optimè coletur, & colatura seruetur usui.

Ob errata, quæ in uictus ratione contingunt, non modo morbi fiunt, uerum & ab anni temporibus, quorum naturæ, atq; mutationes morborum naturis affines sunt. auctore Galeno tertio aphorismorum commento. XIX. Quippe cum hiberno tempore cerebri affectiones uigere soleant. auctore Hippocrate tertio aphorismorum. XXIII. non ab re autumno procedente D. S. rursus purgatoriis uti medicamentis, ut ab initio curationis exposui, facile iuberem. Quamobrem cum autumnus tempus ad nos accesserit, eam septenis inscriptis sorbitionibus haudquamquam intermittente die, priusquam sol nobis elucescat, uti uellem.

Syrupum de stæcade, syrupum de hyssopo, syrupum rosatum, syrupum de endiuia pondere. Vnc. med. accipito. Quibus betonicæ aquam, scabiosæ, lupulorum misceto, & potui dato.

Cæterum cum cōcoctionis indicia apparuerint, sic purgato. Pillulas cochias, Pillulas de hiera Nicolai, pillulas de agarico Mesue, cuiuslibet scrop. i. accipito, quibus duas unius scropuli partes, Reubarbari misceto, cum spicæ granis duobus, & pillulas quinque conficito, & ante lucem exhibeto.

Cæterum Hiberno tempore succedente, quod experiētia frequentius didici, id D. S. salutare præsidium esse non ambigo: uidelicet, si octo dierum temporis interuallo. Terebenthina, semel atque iterum non pleno uentriculo D. S. propinetur. Esto autem quantitatis mensura quattuor drachmarum, accepi hoc à Galeno libro quinto de
tuenda

tuenda sanitate, ubi ait. similiter & Terebinthi resina, sumitur autem aliquando nucis ponticæ magnitudine, aliquando duarum, triumve. Quippe non modo aluum solvere citra noxam potest, sed etiam uiscera omnia, iecur, lienem, renes, pulmonemq; abstergere.

Verum enim uerò peractis purgationibus. Quippe & præcedente sanguinis missione, siue uernale, siue autumnale tempus affuerit, cum in nullis suis affectionibus aqua decoctionis ligni Guaicani contumacem reperiam, iube rem D. S. Reuerendissimam iterum eius potionem accipere, ea enim quod, gallica affectio nocuum dereliquit ue stigium, proculdubio attenuabitur, dissolueturq;. quia gutta cauat lapidem non ui, sed sæpe cadendo.

Nempe, cum D. S. Reuerendissima ac illustrissima pluribus infestetur symptomatibus à duobus iam memoratis morbis cadentibus, sanè non minus curatione egentibus, operæ precium esse duximus ea, nedum generali curatione iam acta, cum eos curauimus morbos, uerum & eorum unicuiq; præsidia propria applicando corrigere. &c.

AD DENTEM PERFORATVM.

ET EROSVM.

L Ac Tithymali Vnc. i. accipito, fermenti Vnc. med. ei misceto, & pastillos conficito, unum eorum in dentis foramine immittito, & ne alios pertingat dentes cum capsula cærea custodito.

Item tres guttas olei uitrioli romani in dentis foramine imposito, & cum cæra claudito, & disrumpetur dens, cum eius radicibus.

Item tangatur dens in eius foramine cum stylo aureo candenti, per canulam argenteam immisso, & dens omnino ad partes disrumpetur. &c.

AD GINGIVAS CORROSAS.

R Adicem mori celsi ad umbram exsiccatam. Vnc. i. accipito, Myrrhæ. Vnc. med. ei permisceto, cornu cerui usti.

C O N S I L I V M

ui usti. drach.ii. iungito , & ex his subtilem puluerem cōducito . Vesperis cum d. s. cubare uoluerit dentes, & gingi uas abluere conuenit , uino nigro styptico, mox uerò gin giuas dicto puluere aspergere, mane uerò eas aceto ex scyl la diluere .

Item aluminis. Vnc.i. cornu cerui usti, stipitum capillo rum ueneris , masticis , myrrhæ , copularum glandium , anna drach.i. bulliant in aqua plantaginis quant. suffic. & abluantur gingiuæ bis, uel ter in die.

Item Recip. Aluminis liquidi drachm . i i . cornu cerui. Vnc.i. gummi laccaæ drach. i . aquæ plantaginis. lib. ii. bul liant ad medietatem , & decoctum colo transfusum serue tur pro collutione dentium, & gingiuarum.

Item Recip. pulueris corallorum . Vnc. i. infundatur in supradicta decoctione , & facta residentia coletur, & ex co latura colluatur os , ex residentia uerò post colaturam su peraspergantur gingiuæ.

Item Recip. ficus maturas uirides, & contusæ teneantur in uase ad tres dies coperto , post auferatur succus eorum, qui residuebit , & sinatur acescere , post cum eo misce suc cum radicis esulæ, & bulliant ad consistentiam, & cum eo misce puluerem corallorum , & fiat spissamentum , quo impleatur dens corrosus. &c.

A D T V S S I M , E T I M P L E T V M

P V L M O N E M .

S Vccum hyssopi , succum altheæ , succum helenii , de quolibet. Vnc. iii. carnium sebesten , carnium iuiuba rum cuiuslibet. Vnc. ii. pulueris dulcis radicis , pulueris pulmonis uulpis , cuiuslibet. Vnc. med. Butyri recenter facti , olei amygdalarum dulcium recentur facti cuiusli bet. Vnc. med. pulueris anisorum , pulueris diadraganti frigidi , cuiuslibet. Vnc. med. penidiarum. Vnc. x. zuccha ri quoad expedit, & fiat mixtura , cuius portio frequentis simè lamendo ori condonetur.

Item

Item Mannam electam. Vnc. ii. accipito, olei amygdalarum dulcium recentis. Vnc. unā & med. carnium sebestē. Vnc. i. penidiarum. Vnc. iiii. cum paululo zucchari mixtura efficiatur, cuius alternis diebus non pleno uentriculo unciā unam ingurgitet. D. S.

Item & sanè mirabile est, succum althææ, pondere duarum unciarum accipito, gummi arabici, dragaganti, amili, cuiuslibet. Vnc. med. penidiarum. Vnc. x. Terbenthi-næ perlucidæ lib med. ficuum pinguium. Vnc. ii. omnia simul benè tūsa in mixturam conducantur. cuius. Vnc. med. D. S. Reuerendissima stomacho ieiuno ingurgitet frequenter.

Item laudo, & peroptime ualidum est, si D. S. Reuerendissima cum cubare uoluerit tria ingurgitet Thuris masculi grana.

Item quia Tussis est ex defluxu pituitæ desuper ad mēbra pectoris, laudo ut D. sua cum ibit cubitum noctu, palato associet drachmam unam huius mixturæ.

Conseruæ itæcados, conseruæ saluiæ, sacchari rosacei, cuiuslibet Vnc. i. accipito, & misceto.

Item laudo ut assidue mandat uacuo uentriculo radices acori conditi, cui permisceatur granulum mastice.

Item tueatur caput cum his pulueribus. Recip. rosarum rubearum, corallorum rubeorum, baccarum mirti ana. drach. ii. olibani, gariophyllorum, macis, ana. drachm. i. impleatur ex his sacculus de serico subtilis ualdè, qui confusus aptetur capiti porteturque super commissura coronali, & fiant duo, uel tres, ut cum unus nimium humectatus fuerit remoueatur, & ponatur alter, & primus exsiccetur.

Item Recip. dragaganti. drachm. ii. corallorum rubeorum, rosarum rubearum, ana. drach. i. succi dulcis radicis, olibani, myrrhæ, mastice, ana scropul. i. reformentur pilulæ in forma plana cum syrupo myrtino sub lingua. &c.

C O N S I L I U M

Ad uentriculum, & aluum
imbēcillia facta.

Species diagalangæ, species aromatici rosati, pulueres diadraganti frigidi, de quolibet drach. ii. accipito. quibus tantum sacchari comisceto, in aqua menthæ dissoluto, quoad expedit pro globulis conficiendis. Quorum unum quottidie mane capiat, tribus priusquam comedat horis, super bibendo haustum uini albi odoriferi.

Item Recip. succi absinthii, menthæ. ana. Vnc. iiii. uini maluatici. Vnc. ii. ladani, belzuini, masticis. ana. drach. ii. gariophyllorum, zedoarii, ana scrop. ii. olei de spica. Vnc. ii. corallorum, iaspidis ana scropul. iiii. bulliant ad consumptionem succorum, & facta expressione seruetur pro unctione stomachi.

Item Recip. olei de absinthio. Vnc. iiii. succi fumiteræ. Vnc. vi. uini albi lib. i. bulliant ad spissitudinem, & facta expressione seruetur pro unctione alui. &c.

AD IECORIS IMBECILLITATEM,

& timorem de aqua inter cutem. &c.

Reubarbari drach. iii. accipito. spicæ gran. unū & med. Iecoris lupi. Vnc. iii. passularum sine ossibus. Vnc. vi. sumito, & omnia simul optimè contundito, & huius mixturæ. drach. iii. alternis diebus D. S. edat.

Item asplenum, & eupatorium, de quolibet drach. ii. accipito, & in unciis nouem iuris pullæ sine sale ebullito, quoad tertia consumatur pars, residuumq; tepidum, modico sacchari addito. D. S. in diluculo exhibeto.

Item plerunq; D. S. uentriculo non pleno mandat, ingurgitetq; apophlegmatismi succum inscriptæ mixturæ. Reubarbari. scropul. ii. passularum absque ossibus drach. i. accipito, & totum mandendum exhibeto, mox uerò masticatione peracta, capiat haustum uini albi odoriferi, minima portione endiuia aquæ permixta. &c.

AD

Ad calculos renum dolore confocio.

Hiberno, ac autumnali tempore bis unius septimanæ tempore diluculo infra scriptam ingurgitet D. s. bolum. Iustini optimi drach. ii. sacchari uiolacei drach. unam & med. accipito, & bolum conficito.

Item eisdem tēporibus assiduet D. s. ingurgitare Vnc. med. terbenthinæ perlucidæ in diluculo cum aqua uiolacea lotæ. &c.

AD ARTICVLARES DOLORES, ET THORACIS grauitates, & ad timorem casus in ægritudines cerebri. Quales epilepsia, apoplexia, paralyfis, uertigo, & huiusmodi.

Præsidium his admodum utile, sequens aqua conducit. Radicum acori. lib. ii. Pæoniæ. lib. med. galangæ, zedoarii, de quolibet. Vnc. unã & med. Iuæ, centaureæ minoris, saluiæ, maioranæ, stæcados, betonicæ, roris marini, pulegii, calamenti, polypodii, polii, folii, de quolibet. manip. i. rosarum rubearum, baccarum myrti, cuiuslibet. manipul. med. omnia hæc crasso modo contendantur, atque in ducentis libris uini albi potentis, & odoriferi fundantur spatio temporis dierum trium, demum uinum coletur, uiolenta, & forti facta expressione, & in uitreo alembicco uinum ponatur, & distilletur aqua, cui adde nucis myristicæ, macis, gariophyllorum, cinnamomi, malticis, zingiberis, de quolibet crasso modo rupto. Vnc. i. trahe moram per diem naturalem, demum per alembicum iterato distilla aquam, & usque ad nonam distillationem eandem distillabis aquam. Remanenti uerò aquæ ex nona distillatione permisceto foliorum auri numero centum. foliorum argenti numero. L. omnium fragmentorum, de quolibet drach. ii. Margaritarum. Vnc. med. omnia puluerizanda in subtilissimum conduces puluerem, & iterato uicibus duabus eandem distillabis aquam. Ultimo uerò de-

E ii stillatam

C O N S I L I V M

stillatam aquam cum moscho, & ambra aromatizabis, & sic habebis diuinum Elisir uitæ, cui uolo D. S. Reuerendissimam tantam adhibere fidem, ut omnino ab eo sanari habeat, & à futuro longe malo prohiberi.

Modus usus elisir uitæ est, Mane priusquam uentrem impleat, diluat sibi D. S. omnes colli spondylos, atque thoracis musculos, & plerunque artus sibi madefaciat. Quippe per tres ante matutinum cibum horas, sorbeat potum hunc. Aquæ saluiæ, aquæ endiuia, cuiuslibet. Vnc. med. Elisir uitæ guttas quinque, misce, & potui dato.

Item admodum D. S. præseruabit à futuris morbis, & præsentibus curabit, Ducia aquæ cadentis ab alto.

Item Recip. sem. citrii. Vnc. i. radicum asari. Vnc. med. calami aromatici, cinnamomi ana drachm. ii. spicæ nardi. drach. i. aquæ iuæ, lib. ii. bulliant ad medietatem, & facta expressione, cum ea misce olei de spica lib. med. ladani, belzuini ana. Vnc. med. masticis drachm. ii. & iterum bulliant, & colentur, facta expressione, cui addatur ambra. scrop. & seruetur, & ungetur collum, & dorsum.

Item capitis ablutio ad hæc nobile iuuamentum præstabit, sic. Lixiuum dulce conficies, in quo ebullito saluiam, betonicam, stæcadem, asarum, maioranam, chamæmelum, rosam, mirti baccas, citinos ex quo D. S. caput diluet, mox uerò eo lixiuio capite diluto, semel leui quadam dilutione caput diluat uino albo mediocris facultatis, quippe tempus ablutiois sit spatium duorum mensium, quia ad hanc non assueta est D. S. Reuerendissima.

Item Recip. Lixiuum ex cinere betonica, & aqua betonica, in quo bulliat aliquid ex semine myrti, pro lotionem capitis. Utatur autem sequenti saponem, cum abluatur caput Recip. saponis damasceni. Vnc. iiii. agarici boni. Vnc. i. ladani. Vnc. med. gariophyllorum spicæ nardi ana drach. i. misce cum oleo myrtino quant. suffic. ut fiat spissamentum durum.

Postremo.

Postremo posset quis interrogare, si quippe his, quæ prædiximus, nullum aperte iuuamentum laboranti succedat, an aliquam illius corporis particulam urere idoneum sit.

Nempe neminem ambigere uellem, quòd opus illud, quod urendo manu posita à nobis efficitur, postremum medicinæ prisce appellitant. Porro si his, quæ de uictus ratione præcedente sermone conscripta sunt, nullum D. S. Reuerendissima præsidium palàm concapescat, minusq; his medicamentorum potionibus, indubitato iubeo, duas, uel alteram earum particulas urere peridoneum fore, Quippe sit prima in contextura coronali, & in loco opportuno, sed. absit. Dico tamen quod à me expertum est, si deorsum in cruribus à genu sanè distanter spatio digitorum quattuor inter duos illius musculos cauterium conducatur, insigne iuuamentum D. S. associabitur. Quippe & hæc uia est ad præsentis morbos D. S. curandos, & futuros præcauendos. Nempe enim hac uestione facta, humores, qui neruosas corporis partes occupant, ad exteriora eo foramine ducuntur, & euacuantur. auctore Galeno sexto Epidemiorum libro, ad illius bene merentis gloriam, qui nos gubernat, & custodit. Amen.

In itum est consiliū in Patauino gymnasio M D XXXV. XXIII. Septembris, & ex omnium doctorum consensu à Benedicto Victorio Faentino æditum.

PRO RESPONSO AD QVAEDAM INTERROGATA
ab Illustrissimo & Reuerendissimo
Cardinali Tridentino.

Consilium II.

Questum fuit à nobis in dispositione præter naturali, qua Illustrissimus & Reuerendissimus Cardinalis

C O N S I L I V M

lis Tridentinus in præsentiarum, & in certo præteriti temporis spatio corripitur, & corripiebatur: An. D. S. balnea apponensia sint conuenientia, & proficua. Quod si conuenientia fuerint, quæsitus est modus, & uictus ratio, & tempus, quibus Reuerendissima D. S. prædictis balneis debeat se submittere.

Huic nos uno animo, unoq; consensu satisfacimus petitionibus D. S. Reueren. Primo quippe dicimus, quòd prima stante affectione, qua iam sua. D. tenebatur, stantibusq; eisdem symptomatibus: qua, & quibus aliàs tenebatur, cum Consilium S. D. condonauimus, & in præsentiarum eisdem aliquantisper aduictis aliis quidem affectionibus, ut habuimus ex relatione doctissimi medici, & benè experti Remigii sanitatis. S. Reuerendissimæ. D. moderatoris nouiter. D. suam corripientibus. Hæc dicimus intrepida fronte balnea Apponensia esse illi conuenientia, & forsitan necessaria, propter ea quæ in consilio alias habito à nobis dicta sunt. Et quoniam dixit Aristo. in problematibus balnea calida naturalia esse sacra, si cum debitis modis, & requisitis conditionibus assumantur, sic & nos nullo ducti errore consulimus D. S. Reuerendissimam debere balnea prædicta assumere, obseruatis omnibus modis, omnibusq; conditionibus, quas nunc D. S. referemus, sicut & retulimus aperto ore Remigio doctissimo medico D. S. Reuerendissimæ.

In primis igitur cum balnea sacra sint, cum ad ea immediatè præcesserit corporis totius purgatio. Perdunt autem nomen sanctitatis si sine præcedente purgatione homines ad ea impetuose se exponant. Ideo dicimus D. S. antequam illa balnea aggrediatur, conuenienti purgationi debere submitti. Et quoniam tempus aggrediendi huiusmodi balnea apponensia est à medio Aprilis usque per totum Iunii mensem: ideo dicimus quòd tempus suæ purgationis initium capere debet à medio Aprilis, uel à. XX. eiusdem

eiufdem diebus, ita quod confideretur à fuo experto medico purgationem debere terminari, ut ad minus Reuerendiff. D. S. in principio mensis Maii reperiat in balneis. Demum dicimus, quod cum apud Tridentum D. S. non fuerit immunis ab arduis negotiis, & à curis publicis præuaricantibus & ordinem purgandi, & operationes medicinarum, laudamus cum uoluntate S. D. ut purgationem apud nos propè balnea apponensia fecurius capiat, cum immediatius purgato corpore se exponet ipsis balneis.

Ubi uerò D. S. Reuerendiffima hilariori animo apud Tridentum purgationem suscipere coniectaretur, & uelit, obseruet tamen quod certè obseruandum est, quod post quattuor dies ad plus balneis apponensibus adhæreat, obseruetq; D. S. Reuerendiff. curare, ut eo etiam in tempore mansionem non trahat propriam in loco, ubi balnearum apponensium aquæ scaturiunt, quoniam aer ibi non est illic sinceritatis, quam omnino cupimus pro sua Dominatione. moretur igitur in loco conuenientiori, tum propter aerem, tum propter meliora, & iucundiora hospitia, uidelicet apud uillam dictam de Abano, à loco balnearum distantem per medium miliare.

Demum dicimus, Quòd S. D. obseruet sequentem modum assumendi balneum, orto enim sole à propria mansionem D. S. Reuerendiffi. conducatur ad locum aquæ, & in primis duobus diebus ad plus, quoniam potus aquæ balnei naturalis est dispositioni gallicæ contumax, bibat sexdecim pocula usque ad uiginti dictæ aquæ, & hoc ratione folius præparationis ad duciã, & euacuationis à uis latis.

Quod si commodiori etiam modo. D. S. eam illis duobus diebus bibere uoluerit, ad propriam mansionem quolibet mane faciat sibi aquam deferre, & in cubili suo bene clauso, ne uento turbetur, bibat aquam sic. Bibendo inquam stet D. S. erecta, & cyathum primum propria caliditate calidum, quodammodo lambendo sensim deglutiat,

C O N S I L I V M

tiat, post uerò immediate semel ambulet per cubiculum, & sic capiat secundum poculum, sic præcisè procedēdo quousque poculorum prædictum numerum finiat, & sic partim sedendo, partim per cubiculum deambulando, D. S. quinque moretur horis, uel quattuor ad minus, deinde prandeat.

Prandium autem suum sit panis madefactus in iure pullæ, uel tritus panis in eodem iure, comedatq; pullam unam, uel de carne hædi, & nihil aliud, nisi si post prandium D. S. uoluerit Pineas mundas, comedere poterit, & sit eius uinum album, aut medi coloris pauciferum tamen. Post prandium uerò D. S. lætetur, & gaudeat cum lætantibus, & gaudentibus, & nullo pacto dormiat, cum ei somnus diurnus admodum nocuus sit, tum quia potus aquæ balnei non admittit, neque etiam dispositiones præter naturam, à quibus D. S. tenetur.

Vesperis uerò per horam ante cœnam, quæ erit uigesima tertia hora poterit D. S. corpus suum exercitare, uel deambulando, uel equitando, permittente aeris dispositione. Et in eadem hora, qua D. S. bibit aquam sit benè induta uestibus, & aliquibus pellibus, ut corpus calidum tunc seruetur, quoniam erit & ipsius aquæ completior operatio. In hora uerò prandii exoneret se à prædictis uestibus, & sic duobus diebus D. S. continuet potum aquæ, & non plus.

Tertia uerò succedente die D. S. post primam diei horam, idoneo tempore existente non pluuioso, orto iam sole, se exponat duciæ aquæ cadentis ab alto secundum idoneam mensuram altitudinis, quam optimè obseruabit Barbitonfor assistens balneis, capiatq; eam in commissura coronali non admodum calidam, sed quantum D. S. Reuerendissima poterit tolerare, & in primis illis diebus cum subtiliori cannula, & sic gradatim sexto quoque die permutet cannulam de minore ad maiorem.

Tempus

Tempus autem quo sub ducia debet D. S. immorari, est unius horæ, uel paulo minus, secundum quod D. S. poterit tolerare. Hunc tamen obseruet modum, quod pluris temporis spacio mane submittatur Ducia, quam uesperis. Demum post Duciam ingrediatur S. D. lectum calidum, & pannis calidis bene abstergatur, & sic nõ dormiendo quiescat per dimidium horæ, uel per duas tertias horæ, induatq; post se uestibus suis, & ad suam redeat mansionem, & per tres horas post capiat prandium suum, quod poterit esse ex carne pullorum gallinaceorum, uitulina, uel hædina, in moderata quantitate. Poteritq; S. D. tempore Ducia, & non potus aquæ, comedere ultra carnem aliquantum elixatam modicum de eisdem carnibus tostis, & sit eius potus ut diximus. Post prandium uerò D. S. non dormiat, quoniam somnus omnino ei noxius est. Vesperis uero hora. XXI. capiat Duciam iterum, uel in minori uel æquali tempore ut de mane, & hora. XXIII. cænam suam capiat ex eisdem rebus quale fuit prandium, parcius tamen, & multo parcius, quando S. D. bibet aquam, quoniam tunc temporis uellem duobus ovis recentibus in aqua elixatis cum pane diluto in iure pullæ contentum esse, & nihil aliud D. S. capere uelim, nisi potum ex prædicto uino. Vbi uerò non fuerit insigne incommodum D. S. iubemus, quòd aliquando Duciam ipsam capiat in posteriori cerebro, & in brachio læso, & in crure, quoniam plus magnificamus Duciam in prædictis locis, quam quòd D. S. in balneo diluat sibi totum corpus.

Tempus autem, quo D. S. debet submitti Ducia est. XXV. dierum tempus, bis in die, mane. f. & uesperis, iuxta modum dictum eam capiendo.

Quòd si non fuerit ualdè incommodum D. S. omnium nostrum intentio fuit, quòd de prædicto tempore quindecim diebus continuis capiat Duciam balnei de Abano, pro decem uerò sequentibus diebus capiat Duciam Sanctæ He

lenæ, quoniam hæc sui uigentiore uirtute inducit formã, illa uerò sui familiari, & domestica uirtute præparat, ad formæ inductionem. Eodem quippe obseruato modo in Ducia Sanctæ Helenæ, qualis obseruatur in balneo de Abano, obseruet q̄ D. S. Reueren. quòd si fortè fortuna (quod deus auertat) in febrem aliquam, uel in dolorem capitis, uel in aliquam aliam malam affectionem caderet, proculdubio abstineat se ab omni balneorum usu, quousque ab illis affectionibus D. S. releuabitur, obseruato tamen. quòd tot diebus, quibus intermiserit Duciam post. xxv. diem morem gerat, ut compleatur numerus usque ad. L. Ducias. Et aduertat D. S. quòd aqua cadens ab alto maiorem facit impressionem, si sit plus distans à capite D. S. quam magis propinqua, quoniam effectum suum non completeret. Et quoniam plerunque sustinens Ducias ad immoderatam sitim peruenit: ideo laudo, quòd D. S. extra tempus ordinatæ cibationis non bibat uinum, sed aquam endiuia cum modico Iuleb rosati bibat.

Et quoniam plerunque supprimitur alius suscipientis Duciam, ita quòd ipsius beneficium quotidie habere non potest: laudamus, ut aliquando ei imponantur clysteria ex aqua balnei, cum drach. vi. hieræ picræ, & zucchari, & oleo comuni, & uitello oui, & sale. Vbi uerò D. S. Reuerendissimæ contigerit (sicut & multis accidit) quòd præ uirtute calefactiua ipsius duciae eliquentur humiditates aliqua, delegatæ oculis, uel gutturi, ne impressionem aliquam in illis membris figant: laudamus, quòd cum D. S. Reuerendissima submittitur Ducia, aliquando diluantur oculi cum aqua rosata, & continue in eadem hora teneat zuccharum candum in ore lambendo, & quia plerunque caliditas illa communicatur hepati & renibus, ne ex eorum adaucta caliditate ad cerebrum effumante, concrescat catarrhus: laudamus quolibet mane post Duciam dicta membra D. S. cum unguento rosato Mesue, uel unguento sandalino

sandalino inungatur. Nempe caueat D. S. eo tempore, quo submittitur uel potui aquæ, uel Duciaë, nequaquã aliam contangat aquam frigidam, sed manus diluendo, utatur aqua thermarum, uel dulci aqua tepida. Gaueat quoque D. S. ne uinum potet in aqua aliquanto tempore infrigidatum, quoniam tale uinum, ultra hoc quod opponitur aquæ balnei, perturbat omnia membra naturalia à suis naturalibus operationibus.

Porro purgatio, qua D. S. uti debet, ante quam ipsa thermis exponatur, sit ut infra.

Primo D. S. Reuerendissima in orto solis capiat infra scriptam bolum. Recip. floris cassiæ nouiter tractæ drach. IX. specierum hieræ simpl. drachm. ii. pulueris betonicaë drach. med. misce, & fiat bolus cum zuccharo.

Sequente uerò die per septem dies continuos prope diluculum capiat infra scriptum syrupum.

Recip. oxymellitis simpl. syrupi de betonica, syrupi de endiua, mellis ros. col. ana. Vnc. med. Aquarum betonicaë, lupulorum, buglossi. ana. Vnc. i. misce. Quòd si hic syrupus D. S. non satisfecerit, facile uti poterit uel decoctione aliqua per totidem dies, uel altero syruporum, quod à nobis ordinatum fuit in Consilio nostro.

Octaua uerò accedente die per horam ante lucem capiat infra scriptas pillulas. Recip. pillularum de agarico Mesue, pillularum cochiarum. ana. drachm. i. pillularum de hiera Nicolai drach. med. misce, cum syrupo de stæcade, fiant pillulæ numero. v. Vel capiat aliam medicinam quæcunq; fuerit illa secundum quod in Cõsilio sermonem habuimus. Purgato uerò corpore D. S. se exponat balneis secundum modum iam præscriptum, laudamus tamen, ut in tempore quo D. S. Reuerendissima Duciaë submittitur eo in tempore, quòd est tempus. XXV. dierum, bis capiat sequentes pillulas, per horam ante lucem, uidelicet transactis primis. XIII. diebus illius temporis secunda uerò uice finitis

omnibus duciis. Recip. agarici trociscati drach. med. pillularum de hiera Nicolai . scropul. ii. misce cum syrupo uiolato fiat pillulæ numero quinque: laudamus tamen, quod facta uentris lenitione, & assumptis tribus de prædictis syrups D. S. Reuerendissima utatur appositione trium hiru-
dinum uenis hæmorrhoidum, quoniam maximum iuua-
mentum, maximamq; præparationem afferunt corpori
exponendo thermis naturalibus. &c.

ADHVC IN REGIMINE, Et tutela sanitatis Reuerendissimi & Illustrissimi D. Domini Bernardi Clesii Cardinalis Tridentini fuimus interrogati. Primo qua uictus ratione uti debeat sua Reuerendissima & Illustrissima D. cum a balneorum administratione expedita fuerit, & per quantum temporis spacium post balneorum dictam administrationem assequi debeat illam uictus rationem.

Huic dico, quod omnium balneorum naturalium, quorum minera sulfurea, & aluminosa est, uel alterius sunt minere calidæ, siue potu, siue Ducia, eorum fiat administratio, uictus ratio duplex esse debet, una breuis, seu tenuis ualde & est, ut per totidem dies eandem uictus rationem in cibo, & potu, & aliis rebus non naturalibus. obseruet ad unguem, per quot D. S. Reuerendissima se ipsam submitit administrationi balneorum dictorum. Igitur excellens Remigius D. S. Reuerendissimæ medicus computatos habeat dies, quibus D. S. administrata fuit Ducia. Si quippe dies administrationis Ducia fuerunt decem, uel duodecim, uel alio certo numero, tunc regatur diæta eadem per tot dies, qua in administratione Ducia D. S. regebatur, & huius causam demus, quoniam natura post administratum balneum adhuc occupatur à materia mota per balnei administrationem, & nondum dissoluta, ne igitur natura retrahatur ab operæ dissoluendi residuum materiae motæ, & non solutæ, non grauetur largiori uictus ratione, ob quam rem laudamus, immo præcipimus, quod
itineris

itineris tempore, quo D. S. Tridentum petierit, nullatenus diætam alteret, ab eo, quòd in balneis obseruauit, iubemusque, ut hanc angustam uictus rationem, quoniam in itinere D. S. non complebit: cum moram domi trahet, eam procuret, ea quippe regatur, & eam exquisitè obseruet. Et hanc angustam uictus rationem Reuerendissimæ D. S. condonauimus, cum iam regimen administrationis Balnei Apponensis conscripsimus.

Deinceps altera accedit uictus ratio, maiorem latitudinem obtinens, cuius terminus erit spacium temporis duorum futurorum mensium à termino dictæ angustæ diætæ, & in ea cibaria sint eiusdem qualitatis scilicet tota, elixaque, & eiusdem modi substantiæ scilicet facilis concoctionis, & optimi nutrimenti, ut de quadrupedibus D. S. euitet carnes ferocium animalium, ut bubula caro, suilla, ceruina, capreoli, & castrati antiqui. Et eo quippe tempore. D. S. Reuerendissima uescatur quadrupedum carnibus, quæ per suum modum substantiæ facile concoctioni obediunt, atque naturales facultates non grauant, ut inde facultas animalis incolumis reddatur, quæ ob balnei aquam ab alto cadentem, & coronalem commissuram, atque posterius cerebrum percutientem, satis perturbata, atque imbecillis facta fuit. Carnes sunt uituli lactantis, hædi, leporis, & cuniculi iuuenis, & castrati anni unius nati, de auibus sunt phasiani, perdices, frigellæ, turtures, pulli columborum, capones, pulli gallinarum, turdi, merulæ, ficedulæ, & oës auiculæ in arboribus, nemoribus, & pratis, præsertim mōtanis habitantes. In eodē quoque lata diæta, oua recētia in aquis elixata, & tremula, uel sorbilia cōueniūt, sicut & eadē concedimus D. S. tempore angusti regiminis, in eadem quippe pisces, non quidem crebro conuenientes, & non ad saturitatem, sunt pisces omnes saxatiles, qui maximè

C O N S I L I V M

in torrentibus uescuntur, de quibus sunt temoli. optimi enim sunt, & recentes trutæ, & carpiones, marsiones autē, & lampredæ minus D. S. Conueniunt. Pisces uerò de libero mari non grandes in eodem lato regimine conueniunt, ut barbones recentes, atque sardones, & arbores, sturionesq̃, omnes uerò pisces sordidos, & canosos, atque stantes, & lacunofas aquas habitantes, ut anguillæ, tenchæ, lucii, ceuali, sunt D. S. contumaces, fructus uerò omnes caueat, præter cerasa benè matura, & ficus benè maturas, & uuas, & melones, de quibus moderato usu esitare poterit, & fraga.

Secundo fuimus interrogati, an aliquo medicamento post balnei administrationem D. S. Reuerendissima uti debeat intus, & deforis, aliisque sequentibus temporibus. Huic dicimus, Quòd cum ratione coniungitur materiæ aliquam portionis quantitatem motam fuisse, quæ neque euacuatione naturæ, neque Ducia fuit propulsa, dissolutaq̃. Ideo consulimus D. S. Reuerendiss. cum domi biduo ea quieuerit, ut prope diluculum capiat semel infra scriptas pillulas.

Recip. pillularum cochiarum, pillularum masticinarum conciliatoris, pillularum de hiera Nicolai. ana. scropul. unū misce cum syrupo uiolato fiant pillulæ numero quinque.

Sequentibus uero temporibus, consulimus Reuerendissimam D. S. in regimine medicinarum eo præcise modo in omnibus anni temporibus regi debere, quem iam in nostris Consiliis D. S. dicatis conscripsimus, cōsulimusq̃ tam intus, quàm deforis, ad quæ consilia in totum intentiones nostras conferimus.

Tertio fuimus interrogati, quo nam modo D. S. Reuerendissima debeat se regere, & gubernare in itineribus, & peregrinationibus, laboribus, & curis, atque sollicitudinibus &c. Huic dicimus D. S. Reuerendissimæ omnino exercitio

exercitio submitti debere, propter commoda, quæ illi ex exercitio contingent, quanto autem exercitio, & qua hora uti debeat, recurrendum est ad magnum Consilium pro D. S. à nobis peractum, dum tamen itineribus, & peregrinationibus morem gerat, iubemus D. S. longe fugere æstum, & in eo non equitare, sanè enim id nocuum est D. S. Reuerendissimæ cum ipsa sit multarum humiditatum, quæ à magno æstu in toto corpore facile eliquari possunt, & cerebrum grauare & origines neruorum replere, atque neruorum cavitates, quibus repente timetur D. S. posse cadere in apoplexiam, & paralyfim, & etiam calore æstus membra eius naturalia inflammabuntur, quæ caliditatem cerebro difflantia promouebunt humiditates cerebri, irruentq; ad membra inferna facultatem eorum motiuam lædentia. Quo fit, ut D. S. in his membris stupore, uel paralyfi occupetur, iubemusq; D. S. magnum aufugere algorem. Caueat igitur ab equitatione, & motu hiberno tempore, ob quod caueat D. S. per loca deambulare niuosa, & ualde frigida. Quoniam D. S. Reuerendiss. admodum cerebri, & neruorum affectionibus tenetur. Quantum autem frigus cerebro, & neruis noxium sit, nullus dubitabit, qui quintum Hippocratis aphorismorum leget. Nos igitur illa fideli seruitute moti, quam erga D. S. Reuerendissimam tenemus, eam supplicamus, ut his temporibus magni. s. æstus, & alboris ab omni itinere, & peregrinatione quiescat. Aliter putamus D. S. propriam desperare uitam. Quod dii boni caueant.

Consulimus igitur D. S. hiberno tempore loco temperate calido se exponere, & in eo uestibus se modeste munire, tueriq; locum, ne frigiditate insigni aeris occupetur, ob quam rem semper in cubiculo suo eodem in tempore aliquid ignis accedatur ex lignis lauri, iuniperi, rorismarini, & laricis, & cum animaduersione, & cautela de die locum illum exeat, igitur in exitu de die muniat se uestibus,

C O N S I L I V M

bus, caputq̄ modestè defenſet. De nocte autem iubemus hiberno tempore D. S. nullatenus diuo se exponere, cum eis mala qualitate, & manifesta frigiditate facile totū eius corpus irruere in lapsum posset incorrigibilem. Conſulimus quoque ob hæc D. S. Reuerendiſſimam non immorari diu in loco hiberno tempore, in quo non poſſit aliquando igni se exponere, cum D. S. frigoris tolerantia ſit infeſta, atque pernicioſa.

Caueat quoque D. S. ne diu moretur tempore magni æſtus, in loco, in quo ſit perflatus aeris defectus, uel in quo multitudine flatus hominum aer conturbetur, hic enim aer D. S. ſatis contumax eſt, & rebellis.

Et ob hoc D. S. Reuerendiſſima caueat magni algoris tempore, ne moram trahat in loco, ut in fenestra, ad quā perflat uentus frigidus, ne ſui frigiditate exprimente excitetur diſtillatio à capite ad inferiora membra, quæ etiam à uento calido colliquante facile progigni poterit.

Ob eandem quippe cauſam D. S. Reuerendiſſima iam graueſcente ætate à laboribus, & laſſitudinibus corporis cauere debet, quoniam natura ex ætate grauata tantum fiet imbecillis, quòd uirtutes corporis ad ſua opera diſpenſare non poterit, A curis quippe, & ſollicitudinibus D. S. cauere debet, illæ enim ſunt, quæ noſtra corpora exterminant, & natiuam ſanitatē corrumpunt, ut ait Galenus tertio artis medicæ: illis quoque curis, & ſollicitudinibus, atque uigiliis ſuperfluentibus facultas animalis fit imbecillis, non potens diſpenſare ſpiritus motiuos, & ſenſitiuos ſuis organis, quo fit, ut uirtus membrorum particularis motiua deficiat, & ſenſus teneſcant. Et niſi D. S. ab his immodicè factis ſe gubernare ſciuerit, certè illi imputabitur in re uitæ ſuæ.

Vbi uerò D. S. Reuerendiſſima illis curis, laboribus, & ſollicitudinibus, atque peregrinationibus ad ſtriſta fuerit minus ei nocua tempora, erunt uernale, & autumnale tēpus,

pus, his quidem suam naturam seruantibus. Quòd si alie-
nam naturam induant, ea etiam euitanda sunt tempora,
tanquam naturæ suæ aduersa, & contumacia.

Consimiliter loca minus nocua in his peragendis curis,
uigiliis, atque sollicitudinibus sunt, quæ mediocris sunt
temperaturæ, ut uidelicet non sint acerrimi caloris, & in-
tensi algoris, & putrescentis humidi. Quæ loca Germaniæ
maximè D. S. satis constant, & loca contrariæ temperatu-
ræ tanquam falsum fugiat amicum, sunt enim ueluti Ty-
rannus, qui semper alterius bona tollit.

Quarto fuimus interrogati, cum plurimi cibi D. S. Re-
uerendissimæ prohibendi sint, qui eorum minus uetari
debent, ut minus ab his D. S. lædatur, & à tali læsione fa-
cile leuari possit, uel beneficio naturæ, uel auxilio operis
medici.

Huic dicimus primo. Quòd pisces omnes sunt D. S. cõ-
tumaces cuiuscunque fuerint condimenti, sunt enim à to-
ta natura larga humiditate abundantes ei noxia: minus
tamen mali sunt pisces elixati, condimento parati, cum
hyssopo, saluia, betonica, iua, roremarino, & similibus,
& ii maxime pisces sunt D. S. minus nocui, qui propriis
nominibus dicti sunt, cum primo dubio satisfacimus.

Nempe pisces omnes salitos, nocuos, pessimosq; D. S. pro-
nuntiamus, propter illud dictum Galeni secundo de com-
po. med. s. l. capite. XVIII. ubi ait, sal enim molestum
est, & maximè in cerebro, minus enim sunt D. S. nocui.
Pisces saliti, quos supra concessimus recentes, & sine sale
D. S. minus inconuenire. Quibus addo salitos sardones &
enchiouæ ianuenfes, & oua Tarâchi. i. botarghæ, & sturio-
nem ex Danubio salitum, & tarantellum, & arengas, &
salitas trutas, atque saxofas, & carpiones modico sale con-
fectos.

De carnibus autem, & omnibus aliis edulis, quæ sunt
D. S. Reuerendissimæ conuenientes, & minus indecentes,

C O N S I L I V M

& de fructibus longiori sermone diximus in consulto nostro magno iam pro S. D. conscripto, ad quod consultum decurrendum est, & addo, quod omnia condimenta de pasta azyma sunt D. S. non idonea, immo admodum contumacia, minus uero nocua sunt, quae minorem pastaë quantitatem tenent, sicut laganæ, quae ex modica farina, & medulla panis triti, & uitello oui conficiuntur, & similia.

Quinto uenimus interrogati, qui potus sunt D. S. Reuerendissimæ minus nocui, ad infestam sitim sedandam, in spacio temporis medii, inter prandium, & cenam.

Huic dicimus, tunc temporis nullatenus bibendum, quoniam cibus natabit in stomacho, & eius uirtus concoctrix adeo imbecillis fiet, ut cibum parare ad futurum nutrimentum minime poterit, & si facultas concoctrix fortis existat, ob tamen obiectum fluidum esse, ut non conuenit, uirtutis actionem recipere non poterit. Quo fit, ut relictum ab opere naturæ uertatur in superfluum S. D. ualde infestum. Vbi uero ex acquisita natura D. S. Reuerendissimi cogeretur bibere, uel infestanti ac intolerabili siti afficeretur, consulimus de altero trium potuum. Primus est, ne sui antiquata assuetudo repente tollatur, bibat S. D. aquam uinatam parcè quidem, & sensim lambendo, non enim propter potum paucum natabit cibus in stomacho, & quoniam sensim sit, natura ei magis assuescet, & sitis extinguetur, & ubi D. S. sic potando crebro potu utatur, nihil nocui accidet ei, tum quia natura potum illum corrigere ualebit, tum quia sui quantitate non reddet cibum fluidum.

Secundus potus est hydromel simplex pauci mellis, & non multæ decoctionis.

Tertius potus est. Recip. aquæ fontis claræ lib. X. uini albi odoriferi lib. i. uini granatorum mediis saporis, malo odore non affecti lib. med. zuchari albissimi clarificati lib. i. omnia simul bene misce & agita, deinde pone in colo lineo raro, & stilletur liquor, qui usui seruetur.

Sexto

Sexto fuimus interrogati, an in comuni potu D. S. Reuerendissimæ minus nocuum sit potare uinum in aqua refrigeratum, an frigida aquæ permixtum.

Huic dicimus primum, quòd uinum in aqua refrigeratum humanæ naturæ maximè nocuum est, quoniam uinum sic infrigidatum trahit ad se naturam aquæ cum extrema, & summa refrigeratione, ob quod concoctricem stomachi dilaniat, & membrorum facultates sopitas reddit, & hoc admodum contumax est D. S. Reuerendissimæ.

Dico secundum quod uinum aqua frigida per pusillū, tamen temporis mixtum, & naturæ humanæ, & S. D. Reuerendissimæ peridoneum est. Sic enim uinum trahit ad se naturam aquæ, & aqua ad se trahit naturam uini, propter primum, tale uinum non percutit cerebrum, propter secundum uerò nō nocet stomacho, & non sit eius uinum, quo utitur occasione cibi lymphatum, quoniam nocet stomacho, ut dixit Galenus secundo de ratione uictus acutorum commento. XIX.

Septimo petitur, si D. S. Reuerendissimæ in eadem mensa uinorum diuersitates sint conuenientes.

Huic dicimus, quoniam natura minus laborat, atque fatigatur in id operando, quod est uniforme in modo substantiæ, & in partibus suis, atque in qualitate: admodum uerò laborat, lassaturq; uatura in id operando quod difforme est in substantia, in sapore, in colore, & in qualitate actiua, ideo diuersitatem uinorum, in eadem mensa uituperamus, damnamusq;.

Octauo interrogamur, si D. S. Reuerendissimæ uinum dulce sit conueniens, sitque eidem uinum nouum, seu mustum idoneum. Huic dico, quòd uinum dulce crassum, & austerum D. S. infensum est, sua namque dulcedine ab epate, & membris amplexatum eorum meatus obstruit, & ad genera morborum corpus præparat, qui ab oppilatione originem trahunt, ut dixit Galenus in libro de ratione

uictus attenuante. Vbi uero D. S. Reuerendissima dulci uino delectaretur, dicimus uinum dulce mediocris dulcedinis, tenue album, pauciferum, & odoriferum in una mensa semel conuenire, id enim uinum præter id, quod non percutit caput, ut dixit Galenus tertio de ratione uictus acutorum, etiam non parat ad oppilationem incorrigibilem, & pituitam in canalibus pulmonis hærentem incidit, atque dissoluit, ut ait Galenus quarto de tuenda sanitate, secundo dicimus uinum nouum, turbidumque, quod mustum dicitur, à D. S. admodum fugiendum esse, sua enim dulcedine recentur natiua, naturæ amicabili, multum à natura amplexatur, & sui terrea humiditate, nondum à calore uini natiuo dissoluta, uel à sicco terreo nondum separata ad oppilationes irreparabiles conducit.

Nono fuimus interrogati, si stuphæ, & balnea dulcis aquæ ad mundificationem totius corporis, in omni anni tempore sint D. S. Reuerendissimæ conuenientes. Huic dicimus, quod istud condonandum est consuetudini, quæ est natura acquisita, ut ait Galenus secundo de temperaturis capite quarto fiant autem stuphæ, & balnea, non pleno uentriculo, quoniam periculum est, obstructionem fieri secundum epar, ut ait Galenus. XIII. methodi cap. XVI.

Decimo, & ultimo fuimus inquisiti in Tutela sanitatis Reuerendissimæ D. S. si opus illud, quod urendo manu posita à nobis progignitur, sit D. S. conueniens præsidium, atque salutare: Huic satisfacimus in nostro magno Consilio capite ultimo quod iam D. S. Reuerendissimæ condonauimus. Eandem tamen super hoc repetemus sententiam, & dicemus, quod ubi ex ratione uictus præcedente, & scripta, atque ex his conscriptis in eodem Consilio medicationibus D. S. nullum apparens iuumentum, atque speratum concapescat. Tunc aliquas D. S. corporis particulas urere peridoneum est. Quippe sit
ustio

ustio in contextura coronali ueluti in loco opportuno, sed absit. Dicimus tamen quod a nobis expertum est pluries, si deorsum in cruribus à genu sanè distanter spacio digitorum quattuor inter duos musculos in parte syluestri cauterium conducatur, insigne D. S. iuuamentum associabitur, eo enim præsentes morbi corrigentur, & futuri prohibebuntur. Hac enim facta uisione, si diu aperta feratur humores, qui neruofas corporis partes occupant ad exteriora illo foramine conducentur, euacuanturq̃. auctore Galeno sexto Epidimiorum libro, ad Dei gloriam. Amen.

Benedictus Victorius Fauentinus in Gymnasio

Patauino Primarius Theoricus, ex socio-

rum consensu sic dixit. Anno do-

mini. M. D. XXXIX.

Die quinta

Maii.



AD VARIA MORBORVM GENERA

cerebri & oculorum,

Pro inuictissima ac serenissima

Poloniae Regina,

Consilium III.



Empe doleo, summi artis medicae uiri, ac inuictissimae, & Serenissimae, Maiestatis Reginae Poloniae. D. Bonae Sfortiae, & Barri Ducissae Sanitatis, ac eius uitae, moderatores. Doleo inquam, ut mecum ipse moleste dicam, uestra nomina non habeo, ob quam rem cum cognouerim uos bonarum Medicinae litterarum ornamenta fore. Et ego ipse uestram doctrinam, ac medicinae artis prouidentiam omnibus Bononiae studiosis enarrare, aperireque cuperem, non faciam id, non quia nolim, sed quoniam non possum, fauebo igitur linguis, & si sane tali securitate motus loqui possem de prudentia uestri, ac de bonitate litterarum uestrarum, noscamque sermonem meum de uobis nullo tempore, errare, Duxi tamen me fatius esse tacere, quam minora pronuntiantem falli, Faueat igitur nobis caelorum numen, ut suae Maiestatis noxas profligare ualeamus. Tum salutari- bus praesidiis, quae per litteras uestras non minus saluta- res, quam multiiuga doctrina referetas gratissimas, grata, & hilari fronte suscepimus. Tum per ea, quae ratione, au- toritate, ac experimento, à nobis comprobata fuere. &c.

TEMPERATURA.

Obtulisti igitur nobis, uiri docti, Maiestatem suam serenissimam suae aetatis annum quinquagesimum septimum agentem, quo fit, ut senectae annos ingressa sit, atque non longè fugit annos uiridis senectutis, quam tem-
poris

poris futuro prouentu ei superi concedant. Illi quippe tēperaturam corporis totius calidam, atque humidam primo condonastis, sanè obtemperantes præcepto Galeni nono meth. curatiuæ cap. xv. ubi ait, non esse uiam cognitionis morbi suarumque causarum, & eorum profligationis, nisi naturalis temperamenti totius cognitio præcesserit, & membrorum maximè principalium, atque eorum etiam, quæ illa comitantur, illisque seruiunt. Idem uoluit Galenus in primo de dyspnea, ubi ait, ut cognoscamus quantum præternaturalis intemperies distat à naturali ægrotantis temperie, ipsam naturalem temperiem agnoscere licet, & huic sententiæ alludit Princeps quarta. primi cap. primo dicens, ut facile cognoscere possimus quali proportionem medicamenta ægroto corpori condonanda sint, cum in illa proportione, quam temperatura præter naturam habet ad naturalem ægrotantis temperiē, in eadem medicamenta simul proportionari debent. Et adhuc uobis ex naturalis temperiei dignotiōe, notum erit, qui morbi sunt naturæ ægrotantis proportionales, & qui non, ut docuit Galenus secundo aphorismorum commento. xxxiiii. in morbis minus periclitantur &c. ob hanc igitur causam satis fuit uobis suæ Maiestatis naturalem temperaturam primo enarrare, ueluti etiam docuit Galenus primo artis curatiuæ ad Glauconem cap. primo sed non latet me naturalem temperiem ægroti corporis à nobis difficile dignosci posse, ut uoluit Galenus nono meth. curatiuæ capite. xv. cum quod non uidimus, neq; quod alio non percepimus, sensu, certe iudicare ualemus. Tum quoniam indicia naturalis temperaturæ in ægro plerunque in absconsis latitant sub indiciis tēperaturæ morbi, quo fit, ut uelamine quodam tollatur sensus medici, ut facile in iudicio eius, quod latitat, & sensum aufugit, ipse falli possit, ob quam rem, uiri docti, non ab re mihi suadeo, quæ sunt mente reposita, etsi à me prolixiori experientia, atque ratione, comperta sint,

sint, atque comprobata, satius fore sub silentio transire, ne
 calumniatorum dispunctorio, cuspidatoque cauterio, ac
 uenoso aculeo, præcipitanter, & inacuratè perfodiar, &
 dispungar. Quippe sic iussit Galenus libro primo de die-
 bus decretoriis, ubi ait. Porro si nihil in ipso certi præfa-
 gire possimus, satius est tacere, quàm temerè pronuntian-
 tem falli. Igitur nunc addiscentis officio fungar, ut dixit
 Arist. in analecticis posterioribus, ubi ait, oportet adiscen-
 tem credere. Credam igitur uobis, medici optimi, talem
 uidelicet esse, suæ Maiestatis inuictissimæ temperaturam
 naturalem, qualem doctè examinastis, suorumque princi-
 palium membrorum. Quippe totius suæ Maiestatis corpo-
 ris naturalem temperaturæ calidam, humidamque decre-
 uistis, sane uincente humiditate caliditatem, sanè si domi-
 nantium natura humorum indicia percurramus, ueluti Ga-
 lenus secundo artis medicinalis & quarto aphorismorum
 commento secundo. Et paulus primo artis medicæ capite,
 LX. & princeps secunda primi, & Rasis secundo ad Alman-
 forem, & Auerr. quarto colliget, dubio procul, ex his, quæ
 iam dixistis polliceor dominium sanguinis uigere in natu-
 rali temperiæ Maiestatis suæ, ob quam rem si ex natura
 Maiestatis sua dulcis est, delectabilis, aspectu placabilis, fa-
 cie hilaris, amans, sæpe sudans, & natura satis ridens, ac
 cum membrorum exquisita inuicem proportione, indi-
 cia hæc medici iudicium firmant, comprobantque sangui-
 nis dominium in naturali temperatura, Maiestatis suæ ui-
 gere. At ubi ea, quæ dicentur indicia his associantur, ui-
 delicet carnis copia, coloris rubedo, ac uiuacitas, & alia
 quippe indicia legi in paginis uestris scripta, quibus indi-
 cia uigentis sanguinis in suæ maiestatis naturali tempera-
 mento facile cognoui. Et non latet me, si illius Maiestatis
 temperatura fuerit sanguinis, eam certè in morbos ex san-
 guine prodeuntes propensam fore, uel ex altero humore
 a corrupto sanguine orto, ut ait Galenus libro primo de
 differentiis

differentiis febrium, & libro secundo de crisibus, & secundo aphorismorum commento. XXXIII. Præterea rectè scripsistis, uiri celebres, si uerbum Galeni secundo artis medicæ comprobamus, ubi ait, totius temperaturam conitari temperaturam cordis & iecoris in unum coeuntem, cor uidelicet temperaturæ calidæ, & humidæ esse, pariter, & iecur. At dicam ego, ubi horum uiscerum temperatura calida, & humida sit, & ea sunt primæ radices generationis humidorum, dubio procul Maiestas sua ob totius, & duorum membrorum naturalem temperaturam, procliuior erit ad sanguinis generationem, & ad eius in propriis receptaculis accumulationem. Quæ dicuntur hoc indicât, uidelicet maiestatem suam munitam fore musculorum decenti quantitate, ac pinguem, mollemque per ambitum corporis totius, nescio tamen quo iudicio coniectari possem ego, Maiestatem suam cum his quæ scribuntur de sui, & duorum membrorum temperatura, angustas obtinere uenas. Tum quoniam humidi proprium est dilatari calido maximè ei iuncto. Tum quoniam molle extenditur, ex quarto metheorologicorum. Tum etiâ quoniam cum magnitudine respirationis, coit magnitudo thoracis, & inde arteriarum, harum uerò latitudo latitudinem sequitur uenarum, hæc accipies à Galeno in de motu anhelitus, & impedimento eius, ac etiam de difficultate respirationis. Ob quam rem, si eius naturalis temperatura calida sit, humidaque, cur non dicemus coeuntibus ei temperamentis naturalibus cordis s. & iecoris, Maiestatem suam, natura, esse multi sanguinis, effectuatorum uasorum per quæ sanguis ad membra permeat, in hisque continetur. Viri Docti, cum iam dixi me credentis officio fungi, sanè credam his, quæ de suæ Maiestatis temperatura optimè examinastis. Quod si aliquid in contrarium me adducere uidear id fieri putabitis, ut mentem uestram ad altiores sensus excitarem. Sed de his hætenus. Medicum enim fimbrias extendere in his,

H quæ

C O N S I L I V M

quæ nullum medicationi iuuamentum afferunt, superuacaneum est. auctore Galeno libro primo de ratione uictus acutorum commento tertio. Demum uerò in habitis iam iudiciis, dicendisque, in scientia temperaturæ aliorum membrorum suæ maiestatis dicam cum Arist. vi. Ethicorum dicente, unumquemque benè iudicare, quæ ipse cognouit, & eorum est bonus iudex. Sanè quæ suæ Maiestatis propria sunt, non cognoui. Ob quam rem quæ illi suæ temperaturæ propria congruunt iudicia exquisitè patefacere non possum, cum ipsa prius & acuratè non uiderim. Sed fungar officio illius, qui propria ignorans ad comunia capita se transfert. Quem modum cognitionis iudiciorum corporis ægroti, atque rerum eidem contingentium edocuit Galenus primo artis curatiuæ ad Glauconem cap. primo, & commentario tertio, sexti de morbis uulgaribus Hippocratis. Credam igitur suæ Maiestatis cerebrum, atq; uentriculum, renesque talis esse temperaturæ, qualem nos certiores fecistis, quoniam Beati, qui non uiderunt, & crediderunt. Iohannis uigesimo. Mihi namque nullus continget error, si huiusmodi fore Maiestatis suæ temperaturas crediderim, quales per iudicia in maiori quidem parte comunia enarastis, cum circa comunia minus contingat errare, ut ex Aristotile secundo de anima habetur comune enim documentum potius eligendum est, quàm singulare, ut dixit Galenus. auctore Hippocrate sexto de morbis uulgaribus commentario secundo. At eorum contemplatio magnam habet uim ad rerum scientiam, ut ait Galenus in libro de Tuenda sanitate ad Thrasibulum. Et hæc de temperaturis naturalibus Maiestatis suæ ex testimonio dicta sint. & c.

MORBI ESSENTIA ET CAUSAE.

Indubitato fallitur Medicus. Viri medicinæ periti, si à prima die non cognouerit morbū. auctore Galeno primo de crisi bus cap. xvi. & uigesimo & primo de ratione uictus

ctus

Etus acutorum commento tertio & primo artis curatiuæ ad Glauconem capite primo. Proinde dixit Galenus sexto de morbis, & symptomatibus capite primo, non modo sufficere medicum actiones læsas dignoscere, uerum & omnium causas intelligere oportet, & idem uidebis secundo meth. curatiuæ capi. quarto & tertio prædictionum commento. XXXIX. Obtulistis igitur nobis Serenissimam Regina Poloniæ Maiestatem uariis præter naturam affectionibus mala quadam fortuna correptam, quibus & animo, & corpore multis anni temporibus mæsta euadit Maiestas sua. Nam ob præter alias malam, turpemque affectionem quandam alterum oculorum affligentem, eiusque perditionem minantem, & cerebri substantiam, atque naturam male morigeratam indicantem, cum dixerit Galenus libro septimo de placitis, oculorum non parum cerebri substantiam attrahere. Patitur inquam ocularem morbum Maiestas sua Inuictissima uti percepi ex his, quæ mihi denuntiata fuere, tum in oculi essentia, tum in his organis, quæ ipsi deseruiunt oculo, pro suis datis à natura functionibus. Aliàs enim cœpit, demum uerò adauctum, & usque quoque ad statum peruenit, in superiori palpebra sinistra uersus domesticum angulum oculi Tuberculum quoddam, quo nedum oculus, uerum & suæ Maiestatis (ut puto) tota deturpatur facies. Quo fit, ut serenitas sua terreatur nedum oculi deformitate, uerum potius de eius perditione, quod Deus auertat. Tunc enim temporis quo Tuberculum illud inualefcit, uenæ oculi illius rubent, atque nonnullæ ab eo lachrymæ prodeunt, cuius autem qualitatis lachrymæ adfuerint, nil mihi denuntiatur. Solent etiam Maiestati suæ contingere, ut aiunt, quo tempore à somno nocturno expergiscitur lippitudines quædam, quarum colorem, modumque substantiæ non audiui. Dolet & sua Maiestas quandoque oculo sinistro, præsertim ad oculi pupillæ regionem, quis autem, & qualis dolor fuerit an puncto-

rius, an oculum grauens, aut extendens, desiderauit. sensumque scabrum, ac si maris arenulæ oculo insint, Maiestas sua percipit. Sciuisse tamen cuperem, si oculorum anguli, circuli que, pruriginosi, circumrosiue sint aliquando. Demumque dolore capitis, ea parte, qua est affectus oculus, satis uexatur. Deinceps uero quod forte suæ Maiestati molestum est, oculi illius turbulentia uisionis progignitur cum apparentia imaginum ante oculum illum, cuius autem tincturæ imagines illæ affuerint, quo etiam tempore uidelicet uel ante cibi assumptionem, uel cum iam ipse deuoratus fuerit huiuscemodi apparuerint imagines, nihil in hoc causa excitandæ mentis accipi. Præterea Maiestas sua Serenissima ultra hos, qui eam perturbant morbos, uertigine quandoque corripitur, ut aiunt. Modum sanè prouentus uertiginis, & an ipsa abolita superstet capitis dolor, uel alterius uisceris, bonum fuisse me præsciuisse. Sed quid? Quandoque bonus dormitat homerus. & cet.

Hæ igitur sunt, uiri nostræ artis expertissimi, affectiones, in quas Serenissima Regina Poloniæ Maiestas aduersa fortuna acerrimè militat, præter alios quosdam morbos impetiginem uidelicet, & paratum ad aquam intercutem, à quibus cum iam, ut aiunt exquisitè liberatur, de his non ero sollicitus. Quippe eas non dignoscemus si causas habent, nisi causas à quibus ortum habent cum speculatione agnoscamus. auctore Aristot. primo naturalium tex. primo. Et Galeno de usu partium sexto cap. XIII. & secundo de potentiis naturalibus cap. nono. Et Plato: in Phedone, ubi ait. Hæc utique mecum ipse reputans, gaudebam, ratus Anaxagoram magistrum, qui me id, quod tantopere cupiebam, causas rerum doceret. Nempe affectio, quæ Maiestati suæ molestior est, in quam & mens, & terror propensior est, & cuius abolitionem plurimum desiderat, cum sit tuberculum ortum palpebræ superiori sinistri oculi, ad

li, ad modum superioris enarrationis. Ideo in primis illius causas edocere conabor. Sed mihi ipsi cogitanti, uiri docti, non ab re perplexus maneo, si affectiones hæ Maiestatem suam continuo affligant tempore, an intermittendo, eam aliquo temporis interuallo quiescere sinant, cum uiderim unum nos certiores reddentem non minori experimento, quam ratione edoctum, aperta fronte protulisse, perpetuò Maiestatem suam huiuscemodi affectiones, turbato animo atque corpore affligere. Sic enim Itylo scriptorio pinxit, licet aliquando materia illa contenta in capite attenuata solet euaporari per poros ipsius capitis, & tunc sua Maiestas leuatur partim ab illis, nocumentis. Sed inquit ipse restat dubium, quare ista tumefactio, & nocumentum in oculo est continuum, dicendum inquit, quod de continuo fluit materia ad illas partes &c. Alter uero eorum ad nos formulam molestie Maiestatis suæ transmittens non minori praxi, quam speculatione munitus, largo ore dixit, Maiestatem suam in his quandoque lucida habere interualla, quibus in pristina ualetudine ipsa tum temporis proculdubio inuenitur. Sic enim calamo conscripsit. Quibus omnibus recedentibus post septimanam, uel circa Maiestati suæ redditur pristina oculorum sanitas, licet postea iterum post aliquot dies, uel menses reuertantur symptomata prædicta, quæ iterum recedunt ut prius, &c. Hoc enim opere præcium agnoscere duxi, si quippe morborum causas decernere uellemus, & ut sciamus & cui, & ubi in morborum profligatione, medicamina applicanda sunt, ubi enim passione propria membrum affectum fuerit, cuius indicium est affectionis continuus prouentus, ac eius perseuerantia, donec tota morbi consistentia perduret, tunc temporis medicamina offenso, ac turbato membro condonanda sunt. At ubi membrum læsum fuerit per uitium alterius consentientis membri. Quod utiq; dignoscitur plurimum ab intermisso morbi prouentu, &

C O N S I L I V M

ab eius definentia quandoque, & tunc cum causa in membro consentiente præest, medicamina illi applicari debent aliter enim medicando contingeret error, & de his morbis sic pariter euenientibus, loquutus est Galenus tertio de locis affectis capite octauo & tertio aphorismorum notat Galenus commento. XXXI. membrum propria passione affectum, atque per alterius membri consensum. Modum autem curæ horum morborum dicemus postea, siue suæ Maiestatis fuerint à propria passione cerebri siue per consensum ab altero membro. &c.

Huius igitur Maiestatis suæ tuberculi in palpebra orti, cæterarumque affectionum causæ, ut aiunt, trium erunt generum, genus uidelicet causæ procatharticæ, & præcedentis, & coniunctæ. Consentaneum enim est, & Galeni mos, morbum omnem à materia procedentem, ab hoc triplici causarum genere sui ipsius consistentiam trahere, & ab eisdem sui cognitionem uendicare, iuxta illud Aristotelis tertio sapientiæ primo. Ita res inquit se habet ad cognosci, uti ad esse. De his quoque omnibus sermonem cum exemplo habuit Galenus primo de causis pulsuum capite primo. Igitur nullo ductus errore dicam, quòd quæcunque extrinsecus Maiestati suæ contigerint, quibus modo aliquo tuberculum illud, uel dictæ affectiones potuerint progigni, ea sub genere causæ procatharticæ censeantur. Sic dixit Galenus in libro de causis procatharticis, & in libro de causis morborum capite secundo & tertio sanè dixit Galenus tertio aphorismorum commento quinto. Semper enim oportet medicum distinguere, & separare id, quod à causa extrinseca contingit, ab eo, quod morborum ratione fit, ut præcognitiones faciat diligentiores.

Nempe audiui Serenissimam Maiestatem huius Reginae, plurimis iam peractis mensibus, officinam tincturæ capillorum ingressam fore, non certè opinor eam dogma comune incidisse, quo uetulae mulieres capitis capillos de-

nigrant,

nigrant, tinguntque, tanquã turpe quoddam fore, si canos capillos haberent, aiuntque turpe spectaculum esse, uirum mulierculam aniculam cano capite habere. Vbi enim prædelitiis, mulierculæ tinctura capillorum caput ornarent, sicut, & Galenus primo libro de compositione pharmacorum secundum locos, obseruauit, uidelicet, mulieri petenti nihil exhibere, nos fanè ita fecimus, agemusque in futurum, non enim solum agnoui feminas tales sæpe in periculo uersatas fore, sed ex capitis perfrigeratione, mortuas esse à facultate illorum pharmacorum, uel eisdem læsiones contingere, in quas per huiusmodi pharmaca facile ceciderunt, ut in attonitum stuporem, aut comitiales, aut uerternũ, aut soporem profundum, & huiusmodi. Hæc, etiam ut ait Galenus aliquando de labentibus destillationibus solutu difficilibus capiuntur.

Merito igitur, uiri docti, hanc capillorum tentatam tincturam Maiestatis suæ causam procatharticam statuerunt, quoniam extrinsecus admouet fortè malam cerebri temperiem, à qua à cerebro, uel ab alia capitis parte progreditur destillatio ad superiorem oculi sinistri debiliorem palpebram, eam tumidam faciens, uel in maiorem uertens tumorem, ob quam ni fallor, dicam, sui ocularis tuberculi causam procatharticam nõ esse capillorum tincturam, sed solius malæ capitis temperaturæ, quæ ab externa facultate, & eius uitio nocumentum in capite progignit, à quo uti à præcedente causa, tuberculum in palpebra oritur, si quispiam à me procatharticam causam huiuscæ tuberculi inquireret, dicerem, ut ait Galenus in libro de procatharticis esse, quæcunque extrinsecus uitiantia palpebram, tuberculum illud progignunt, ueluti casus, contusio, atque rei duræ obuiatio, aut nimia externa caliditas ad palpebram atrahens materiam, quam palpebra nequit regere, & relicta ab opere suo in tumorem uertitur, pariter & nimia frigiditas, quæ extrinsecus contingens palpebræ in ea inuen-

tam

tam materiam compingens, conuertit in tuberculum.

Nocumtum autem, quod ex capillorum tinctura, suæ Maiestati contingere potest, potuitq;, est oblæsio temperaturæ cerebri, ex indecêti pharmacorum applicatione, quorum qualitas, facultasque magis opportuno ad intima cerebri penetrat. Eorum enim facultas adstrictoria esse debet, ut ait Galenus de compositione medicamentorum secundum locos. Ob quod facultas illa solum peruenire debet ad caput, & ad radicem usque capillorum, quod si facultas ultra penetrauerit, uel quoniam uigentior fuerit facultas, quam oportet, uel quoniam composita medicamenta, aut simplicia longiorem moram super caput trahant, ut facile ad intima cerebri penetrent, malas iam dictas affectiones ducere ualebunt. Consentaneum tamen est, Maiestatem suam si cerebri fuerit frigidioris, noxam citiorem ex capillorum tinctura incurrisse, tardius uerò si calidioris, frigida enim particula, frigidis affectionibus corripuntur, sicut, & calida, calidis. Nempe si sua Maiestas frigidius capitis temperamentum habeat, ex capitis tinctura minus periculum subibit, quoniam à minore causa lædetur, si uerò calidius capitis temperamentum obtinuerit, ex capillorum tinctura maiorem læsionem incurret, propterea quod uix calidum à frigidis causis ledi potest. Si uerò frigida causa exuperantes fuerint, proculdubio maiorem subibit noxam Maiestas sua. Dixit hoc Galenus tertio artis medicæ, & in libro de compositione medicamentorum secundum locos, & in libro de causis morborum capite secundo. Alteram causam affectionum Maiestatis suæ procatharticam, idest euidentem attulerunt, contumacem uictus rationem, consistentem in his, à quibus contingunt nostra corpora necessario alterari, quarum rerum in Maiestate sua multus adscribitur numerus, quem nō repetam, tum cum in his sim uti cæcus ad colores, qui de coloribus nullam habet certam scientiam, nisi quam à uidente

uidente suscepit. Tum quoniam earum multæ sunt, quæ non necessario nostra alterant corpora, ubi uidelicet uirtutis animalis uigentia adfuerit, & ad illius functiones assuetudo, quæ suæ maiestati facta est altera natura, & assueti assuetos ferunt labores, ut ait Hippocrates. Verum enim uerò uiri docti. si suæ maiestatis causas euidentes suarum affectionū, quas procatharticas nominant, uos attulissetis animi accidentia, atque passionēs, quas Plato morbos appellat, cognouissem, certè nullam earum ab assignato, scriptoque numero, tam temere fecissem. Sed quoniam animi affectus, aut passionēs, in quas Maiestas sua cecidit, est tristitia, aut mæstitia & timor de lapsu sæuiore. Ipsi sunt à quibus ueluti ab euidentibus causis suæ Maiestatis affectiones contingere, cum dixerit Galenus tertio artis medicæ, Hæc enim, scilicet animi affectus, alterant, atque à naturali statu corpus auertunt, & quinto de locis affectis capite primo dixit, atque hac ratione per uehementes superni principii læsiones, animalia perire uidemus, & non lateat nos, quod dixit Galenus secundo aphorismorum commento. XLVI. ubi loquens de animi affectibus ait, nam & hoc in mœroribus nobis solet contingere, qui sunt & ipsi ueluti dolores quidam solius animi sine corpore. Nam & horū, qui sunt uehementiores, minores occultant, alioqui & illi se ipsos mutuo augent. & c.

Cum diximus de causis procatharticis affectionum Maiestatis suæ in genere eas esse, quæ forinsecus illi aduenientes uehementer materiam eius alterabant, transmittentque, modo morbos suæ Maiestatis causarum præcedētium notitiam aggrediamur. Quoniam ipsæ nedum utiles sunt ad cognitionem morbi, uerum & ad eius curationem, causæ uerò procatharticæ, & si indicent affectum, non tamen curationem. Vbi enim affectus cognitus est, nulla earum utilitas est. auctore Galeno quarto methodi curatiuæ, cap. tertio dicente. Vbi enim præsentis affectus nihil latet, nul-

la iam externæ causæ est utilitas. Dicam igitur quod quæcunque in Maiestate sua, siue dispositiones, siue motus, præter materiam corpus eius alterabunt, transmutabuntque, causas præcedentes nominabimus. Dixit hoc Galenus de causis morborum capite secundo & illam ex exemplo adducens Galenus secundo aphorismorum comméto. XXII. attulit cum dixit plenitudinem esse ante morbum, & idē dixit septimo aphorismorum commento. XXX. Ad harū igitur uiri docti, Maiestatis suæ affectionum præcedentem causam indagare cupiens, alterius uestrum scripturam perlegi, ipsumque præcedentem causam dispositionum suæ Maiestatis assignasse reperii plenitudinem quandam materiæ in liene accumulata, à qua ueluti à re præter naturam resurgunt uapores, uel fumi ad supremam principem partem idest cerebrum, qui cum sint ei contumaces alterant ipsum, transmutantque eius naturam & id reddunt propensius ad procreationem multarum superfluitatum, quæ in cerebro relicta ab opere naturæ eius irruunt ad partes illi subiacentes, in quibus diuersas morborum species progignunt, quas iam nominauimus. Sanè uirum hunc non uitupero, cum in scriptis suis legi, se ore Maiestatis suæ accepisse, exacto iam quinquennio, eam in mensium suppressionem incidisse, & forte fortuna ab his suppressis mēstruis, cepit Maiestas sua tristari in lienis plaga: tum grauedine, tum tumore, non immuni ab aliquo sensu doloris umbilicum uersus, atque rugitu. At cum hæc deprehenderim, confestim redit mihi menti, quod dixit Hippocrates quinto aphorismorum. LVII. si menstrua plurima fiant, accidunt morbi, & si non fiant, ex utero morbi contingunt, neque quispiam admirari debet, & si Maiestati suæ suppressa fuerint menstrua, ex ætate conuenienti eorum perditionis per materiam, quod eidem adhuc contingant morbi ex utero, quoniam in sua Maiestate tunc temporis potuit detineri superfluitas quædam ex sanguine menstruo orta,

quo

quo retento, & superfluitas illa mala, propter hoc, quod excerni non potuit in rem præter naturam conuersa, & ad quandam putredinem ducta, potuit morbos efficere, tum in utero ipso, tum ex utero in membris aliis. Sicut sermone prolixo quis apud Galenum uidere poterit. Sexto de locis affectis capite quinto: ait enim. Huiusmodi accidentia sequi suppressa menstrua consueuerunt, ac præterea lumborum iliorumque, & colli, & sincipitis dolor, qui etiam oculorum fundamenta infestat. Quid dicam? nonne ex solitæ menstruorum euacuationis suppressione, affectio hypochondriaca ut aiunt, mulieribus contingere solet, cuius signa sunt hypochondrii sinistri grauitas, & tensio, dolorisque sensus umbilicum uersus, & rugitus non paruus, ut petenti retulit Maiestas sua. Et quoniam hanc hypochondriacam affectionem sequitur melancholica tristitia, atque ploratus multus, Non ab re quispiam credere posset, uel suam Maiestatem ob hypochondriacam affectionem à mensium suppressione ortam, ut dicitur, in mœrorem, tristitiam, atque frequentem ploratum cecidisse, uel ex iisdem in hypochondrialem melancholiam irruisse. Quorum utrunque facile contingere potest ex his, quæ percipimus à Galeno in tertio de locis affectis. capi. quinto, & in secundo de symptomatum causis capi. septimo & quinto de locis affectis cap. quinto. Propter hæc igitur nullo ductus errore dicere possem, uel suppressionem mensium causam fuisse præcedentem affectionum, quæ in capite Maiestatem suam perturbant, per concausam tamen ab hypochondriaca affectione, ab ea orta suppressione aut hypochondriacam melancholiam, ortum quippe trahentem à mœrore, & tristitia, atque planctu, causam pronuntiare præcedentem eorum, quæ suæ Maiestati accidentium superuenerunt, licet cum his aliæ nonnullæ, ut opinor, præcedentes causæ fuere, ueluti mala cerebri, intemperies, post eius naturalem temperaturam facta frigida, & humida. Quip-

C O N S I L I V M

pe originem trahens à iam dictis causis procatharticis, ut à nimia uigilia, mœroreque, & planctu nimio, atque lachrymarum uoluntaria emissionem. Hæc enim nostra corpora peruertunt, & eam, quæ secundum naturam consistētiam permutant. auctore Galeno tertio artis medicæ, sanè & huius malæ temperaturæ causa euident, potuit fuisse, ut iam diximus sola capillorum tinctura, quoniam eius uirtus adstrictoria facile potuit obstruere meatus, per quos superfluitates cerebri, quæ uel ex insufficienti concoctione uirtutis eius, uel ex uaporibus ab infernis partibus læsis in cerebro accumulatis, prognatæ, solitæ erant perspirare. Quæ intus retentæ non proficua pro aliqua cerebri functione relinquuntur ab opere naturæ eius, irruuntque ad infernas capitis partes, ueluti stillicidio quodam, eas male afficientes, & facile earum naturam permutantes, & ob hoc unus eorū qui me certiorē faciunt, dixit, Maiestatem suam præter alios morbos catarrho corripitur, cuius præcedēs causa est mala cerebri intemperies dicta. Dixit hoc Galenus tertio de symptomatum causis capi. quarto ubi ait, catarrhi & corizæ causa est cerebrum, cum perfrigeratur, aut cum æstuat, dicam ego & recta ratione, & idem catarrhus facile potuit signari pro causa præcedente aliarum affectionum maiestatis suæ, quas iam enarrauimus. Cum eorum duorum, & alter in eandem coeat mentem, cum dixit Maiestatem suam pati periodicum defluxum humiditatis cuiusdam ad oculum sinistrum. Ob hanc igitur rem illarum affectionum, post cerebri intemperiem præcedentem adhuc causam propinquiorem dicam, stillicidium à cerebro. Vbi enim à cerebro in partes capitis stillet, ibique decumbit, dolorem gignit, iuxta illud Galeni. III. aphorif. commēto. XXXII. dolorq; iam fluxione decumbente perficitur. Quoniam igitur in sua maiestate catarrhus præcedit, priusquã decumbat in sinistra capitis parte, meritò diximus ipsum fore causam præcedentē doloris sinistrae partis

tis capitis, altera quippe occurrente causa præcedente ueluti fomento quodam, uidelicet uapore, qui à splene uitiato in sinistra capitis parte è directo procūbit. Pariter si ad oculum profluit, uel ad eius tuētē palpebram, in hoc quidē uertiginem, atq; ante ipsum imaginum apparentiam, in illa uerò tumorem hinc & inde progignit, si uerò capitis fluxio ad dentes defluit, aut in glandulas, uel gurgulionē, uentriculumq; accūbit, proculdubio eorum naturam permutat, in hisq; dolorē excitat, & ob hāc causam forte maiestas sua, mala uentriculi concoctione, ut audio, afficitur, quo fit, ut ab eo perpetua existente euaporatione procreentur defluxiones, & morbi in capite suæ Maiestatis foueantur, concrescantq;, iuxta illud Gal. III. de locis affectis. cap. v. Namq; cerebrū uentriculo, & uentriculus cerebro suas affectiones transmittit, quarum etiā affectionū cōcausam præcedentē non despiciā, hypochondriacā, & flatuosam uocatā affectionem, ad quā sequitur melancholica tristitia ea, quæ in accidentibus suffusioni assimilatur affectio, ut ait Gal. Quo fit, ut quispiā non admirari debeat, si uertigo, & imaginū apparitiones, atq; uisionis imbecillitates cū timore sequentiū suffusionū in sua Maiestate hypochondriacā hāc affectionē, cōsequi ualeāt, ueluti earū præcedentē cām, quo fit, ut etiā nulli dubiū sit in affectionibus suæ Maiest. quidpiā & morbū, & causam fore ut dixit Gal. in libro de causis morborū.

De causis autē coniunctis affectionū suæ Maiestatis dicā eas esse, quæ mutari nequaquā pssunt, ubi constans maneat affectus earū, ut ait Gal. libro. I. de causis pulsū cap. I. quas in unū collectas adducā, uidelicet, spiritus flatuosos, uaporesq;, ac fumos, humori pituitoso, melancholicoque cōmixtos uehementē habentes motū, & inæqualē, qui spiritus, & uapores disrupti humores frangūt, præsertim pituitam, in multas, ac paruas partes, quæ hinc & inde sparse ad diuersa mēbra suæ Maiestatis, in his diuersas progignūt affectiōes, tā diu manētes, quā diu causæ illæ nō mutabuntur, & hunc

habes

C O N S I L I V M

habes processum à Galeno septimo aphorismorum com-
mento tertio, & harum causarum maiorem habebimus no-
titiam, cum de earum propulsione postea sermonem fa-
ciemus. Et hæc de causis affectionum suæ Maiestatis dicta
sint, & c.

P R A E S A G I V M .

Quoniam Dixit Galenus tertio de ratione uictus in
morbis acutis, præfagia multa in modo curationis
morborum afferre commoda, opere pretium esse
dixi aliquantulum sermonem præfagii termini morbo-
rum suæ Maiestatis non aufugere. Ob easque ægrotanti, &
medico contingunt utilitates. Igitur & si acutorum mor-
borum non omnino certa sint præfagia salutis, atque mor-
tis, ut ait Hippocrates secundo aphorismorum. XIX. Non
ob hoc quippe concludit, quod in morbis diutinis prædi-
ctiones sint certæ salutis & mortis, cum ex negatina non
concluditur affirmatiua. Nō lateat igitur nos, cum in mor-
bis diutinis eorum materia crassa lentaque, ac frigida sit,
& in patientibus partibus suæ Maiestatis impacta, atque
agglutinata sit, ex Galeni uerbo secundo aphorismorum
commento. XIX. Non poterit materia illa noxa tantæ ue-
locitatis, ac furia transferri de membro ad membrum, ut
de termino malo Maiestatis suæ præfagire ualeamus. At
cum aliquando humores frigidi à calore discutiuntur, a-
deo ut possint de membro ad membrum deferri, dubio
procul licet hoc raro contingat, in seuiores morbos Maie-
stas sua cadere posset. Quibus nedum morbi prolixitatem
auferemus, uerum & suæ Maiestatis breui temporis inter-
uallo, necem futuram pronuntiabimus, quod Dii auer-
tant. Morbi enim diutini quandoque ortum habent ab
acutis morbis, uerum & ipsi mala quadem sorte à super-
nis, uel ab incōuenienti uictu orta, in acutos morbos pro-
cubuerunt, ut secundo prognosticorum scribitur à Gale-
no, & ab Hippocrate pluries, in de morbis uulgaribus, &

ob

ob hanc rem dico, quoniam Maiestas sua à capitis deflu-
xione tenetur, eam in naufragio constitutam censeo, cum
corpora, quæ defluxu à capite corripuntur ad omnia mor-
borum genera propensiora sunt, auctore Galeno tertio de
symptomatum causis, capi. quarto. At quoniam Maiestas
sua uertigine laborat, contingere facile posset, ut interdū
caderet, ob inequalem, turbulentumque, & inordinatum
motum, tum humorum, tum spirituum, quo fit, ut his
procliuior sit Maiestas sua ad attonitum morbum, comi-
tialemque, & lethargum, auctore Galeno tertio de locis af-
fectis. cap. octauo. Quippe & maiestatem suam propensio-
rem in suffusionem præsertim offensi oculi pronuntiabo.
cum ob imaginationes, quas in oculis patitur, illis simi-
les, quæ per suffusiones contingunt. Dixit hoc Galenus pri-
mo prædictionum commento. XXVI. Indicant quoque
multi, ac uitiosi humoris copiam, os uentriculi grauantis,
ac mordentis, ut dixit Galenus tertio aphorismorum com-
mento. XXIII. At quoniam ob ea, quæ dicta sunt, facile
præfagire poterimus, maiestatem suam, uisionis debilita-
te corripit, à qua facile in suffusionem cadere poterit, cū se-
quatur incrassationem, ac paucitatem spirituum, indigestæque
pituitæ copiam, cum quærela sanitatis suæ, auctore Gale-
no sexto de Tuenda sanitate. Sanè cum Maiestas sua ocu-
li lipitudine offensi turbetur, quæ præoccupat uisum obtu-
sum, ac scabras affectiones, ac angulos erosos cicatricesque,
ut ait Galenus libro quarto, de compositione pharmaco-
rum secundum locos, Dubio procul eam casuram in om-
nes has oculi affectiones, facile præfagire poterimus. At
quoniam lienis errore molestat ob humoris melancho-
lici copiam, ad sinistrum hypochondrium procumbentis,
& forte fortuna cum nonnulla eius acumulatione in cere-
bro, ut ait Galenus tertio de locis affectis. cap. septimo. Ti-
meat sua maiestas, ne in morbos irruat, quos Galenus eo-
dem in loco, ac secundo de causis symptomatum cap. VII.
attulit.

attulit. Nempe puto, me nullo errore duci pronuntiantem
Maieſtatem ſuam à morbis, quibus uexatur euafuram fo-
re, ſi ſalutaribus noſtris præſidiis obtemperabit, ſuiſque
medicis in arte peritis ſeiſſam offerat, atque aſſidentibus,
& his, quæ extrinſecus contingunt, ut ait Hippocrates pri-
mo aphoriſmorum primo. Tum ob ſuæ Maieſtatis elegan-
tem temperiem. Tum ob ſuorum membrorum principa-
lium uigentem facultatem. Tum etiam quoniam nulla dif-
ficultas adest homini uolenti. &c.

M O R B O R V M C V R A T I O .

M Orborum ſuæ Maieſtatis Inuiſtiſſimæ curationis ſco-
pus, uno trium perficitur instrumentorum, quippe
aut eorum pluribus, aut uno, aut omnibus, auctore Ga-
leno in libro de partibus artis medicæ, & in libro experi-
mentorum cap. ultimo, uidelicet uictus ratione, medicina-
rum potione, ac manuum exercitatione. At quoniam eo-
rum omnium nobilius instrumentum eſt uictus ratio. au-
ctore Galeno in libro experimentorum, opere pretium
eſſe duxi, Maieſtatem ſuam primo in uictus ratione inſtrue-
re. Et Iouem adiuro, uiri docti, omnium affectionum Maie-
ſtatis ſuæ, atque ſymptomatum curationes, et ſuæ ſanita-
tis tutelam, magis, magiſque in uictus ratione, quàm in a-
liis medendi ſcopis conſtare. Igitur ſupplico, quaſo, hor-
torque Maieſtatem ſuam ſub obſeruantia firmamento.
Quæ à nobis de uictus ratione, in hoc ſalutari conſilio con-
ſcribenda ſunt, non modo audire, uerum ut obſeruentur
operam dare.

V I C T V S R A T I O . D E A E R E .

R ationes igitur uictus ab aere exordiar, cum ab am-
biente nos aere corpus admodum mutetur. auctore
Galeno libro tertio artis medicæ, & tertio meth. cap. octa-
uo & nono meth. non longe à fine, ubi ait. Ambiens ue-
rò iſt eſt, ſine quo nec morbus tolli, nec teneri ſanitas po-
teſt. At primo de Tuenda ſanitate non modicam expedit
uim,

uim, Galenus ipsius tuendæ sanitatis, in conuenienti aeris electione.

Nempe igitur medicorum opere Maiestas sua, sibi eligat aerem non crassum, & nubilosum, clusumque minime, & nullum recipiens perflatum euitet, iuxta illud Galeni primo, de sanitatis tutela, ubi ait. Nec qui ob stagnum, uel flumen uicinum, nebulosus est aer, nec editis undique montibus, clusus nullum recipit perflatum. Quo fit, ut nocuus sit oculis, & in cerebro crassos, & glutinosos humores progignens, qui oculis contumaces sunt, in ipsis fouentes, omnes suæ Maiestatis oculares affectiones. Proinde locum domus accuratè sibi conducat, in quo non sit inclusus aer, perflatus defectum sustinens, ob id Galeni uerbum eodem in loco, ubi ait, similis ei, qui in domibus quibusdam est inclusus, in quibus ob putredinem, & perflatus defectum, plurimus aceruatur situs. Huiusmodi enim aer omni plane ætati noxius est, quippe & aer fumo, uel puluere affectus prohibeatur, cum enim in corpus intrat, permximè ob sui materialem qualitatem, noxius est oculis, sensum scabrum, lippitudinesque, & tumores, ac culicum muscarumque imagines, cum uisionis debilitate, facile procreat. Tum etiam facultatis animalis transitum tollit uiarum spiritus clausione, quo fit, ut spiritus animales, ad oculos libere penetrare non ualentes, eorum nocumenta adaugeant. Nempe aerem humidum ualde fugiat sua Maiestas qui & stagni, & paludis halitu est infectus. Et qui ex animalium, & olerum & leguminum putredine, uitium contraxit, cum plane fugiat, & qui funo coinquinatur, suo enim habitu caput grauat, & animale spiritum offendit, ut libro primo de Tuenda sanitate dixit Galenus, Quippe purum aerem, & moderatè clarum Maiestas sua desideret, ne impuritate, & illius crassitie, uires animi obnubilet, & eius spiritus perturbet, quo fit, ut uertigo adaugeatur. Non immerito igitur dixit Galenus primo de Tuenda sa-

C O N S I L I V M

nitate optimum aerem censeo, qui prorsus sit purus.
 Sanè igitur Maiestatis suæ aer calidus sit, & siccus, non
 admodum quidem calidus, plus tamen siccus, non sanè fri-
 gidus, quoniam ex capite destillationibus totum corpus
 offendit. au ðore Galeno quinto aphorismorum commē-
 to. XXIII. Quippe non admodum calidus sit, ob Galeni
 uerbum quinto aphorismorum commento. XXII. Calor
 extrinsecus in capitis dispositionibus facit hæc eadem sci-
 licet destillationes. Sed modice calidus sit, quoniam ut di-
 xit Galenus capitis grauitates sanat, concoquens, atque dis-
 soluens quæcunque caput molestant. Cæterum si natura
 calidus & siccus aer haberi non poterit, eo in loco, quo
 Maiestas sua moram trahit, & hybernum fuerit tempus,
 leuibus aromatum suffitibus utatur. Considerandū, quod
 à me dicitur leuibus suffitibus, quoniam à fortibus caput
 admodum grauatur, ut dixit Hippocrates quinto apho-
 rismorum. XXVIII. Suffitus aromatum & c. Nam si Maie-
 stati suæ infensum erit, quod ab aromatibus de fumo exit,
 sola aromatum præsentia in mansionis loco contenta sit,
 ut quod de odore ab aromatibus spirat, quæ sua ui aperiūt
 uasorum orificia obserata, & humorum crassitudinem ex-
 tenuant atque resoluunt, omnibusque frigidis, & humidis
 affectionibus capitis peridonea sunt, auctore Galeno eo-
 dem in loco. & c. At aromata sunt, cinnamomum, gario-
 phyllum, nux myristica, lignum aloes, moschus, cortices
 citrii, macis, Ambra, mastic, thus, ladanum, & similia. Quo-
 rum omnium pulueres si igni superaspergatur, satis cum
 aqua rosata irrorentur, ne cum acutie suæ caliditatis ad ce-
 rebrum & oculos penetrare ualeant. Quippe si Maiestati
 suæ pergratum fuerit lucidum ignem inspicere, & potissi-
 mum hyberno tempore, sit ignis, ex lignis Rorismarini,
 iuniperi, lauri, & ex similibus. Porro si ex ligno terebinti,
 uel ex illo, quod usitato uocabulo lignum laricis appella-
 tur, ignis accendatur, proficius admodum hic erit ignis,
 quoniam

quoniam sui natura crassos, & glutinosos corporis humores attenuat, atque dissolvit. Cæterum Maiestatem suam hortarer, ut moderato calido caput suum muniret. Calor enim extrinsecus, atque immodicus ei noxius est, admodum colliquando, & ad ipsum caput ab infernis corporis partibus fursum trahendo, plus uerò frigus suæ Maiestati rebelle est exprimendo, omnis enim cerebri expressio oculis contumax est. auctore Galeno ut supra & c.

VICTVS RATIO PER CIBVM ET

POTVM: PANIS.

Panis electio sit de tritico, quoniam triticum ne dum apud omnes nationes frequentissime, immo cum utilitate usurpatur, auctore Galeno primo de facultatibus alimentorum capi. secundo ex triticeis namque panibus Maiestati suæ peridoneus est ille, qui ex tritici simula conditus est. Sincerissimus enim is panis est, naturalia non grauens, non flatuosus, neque deorsum aluum replens, & peroptimè nutriens. Sitque panis Maiestatis suæ non admodum fermentatus, sui enim superflua, acetositate noxius est cerebro, & oculis. Quippe neque omnino fermento careat, ob id Galeni uerbum primo de potentiis alimentorum cap. secundo, at qui omnino fermento caret, nemini prorsus erit accomodus. Non sit eius panis salitus propter dictum Galeni secundo de compositione medicamentorum secundum locos. cap. XVIII. ubi ait. Sal molestum est propter grauedinem, & potissimum in capite, sitque eius panis non admodum coctus, ut qui cruda, incoctaque interiora habet, ambusta uerò obaridaque, & crustacea exteriora, ignis enim uis in totum panem nequit penetrare, ideoque illum non percoquit, maximeque internas partes. dixit enim Galenus primo de facultatibus alimentorum cap. secundo is enim deterrimus panis censendus est,

C O N S I L I V M

& uentriculo inimicus, qui in crustaceis admodum aduritur, in intimis incoctus relinquitur. Sit eius panis duorum dierum recens, sanè tamè calidus non edatur ob Principis dictum secundo Canonis. capi. CLXXIII. Panis enim calidus non est: amicus naturæ, sitim facit, & natat propter suam uaporosam humiditatem cerebro, & oculis aduersam. & cet.

D E V I N O .

CUm sit omnis excessus fugiendus, maximè illum aufugere expedit, ex quo non corpori modo uerum etiam animo damnum accedit, ob quam rem cum Maiestatis suæ corpori & animo uini potus damnum ingerat, ne dū haustum gustare suaserim, uerum & omnem uini potionem denegarem, eius namq; corpori noxium est uinum. Quippe uino epoto humectante, atque calfaciente obnoxios excessus corpori eius inducet, auctore Gal. I. de Tuenda sanitate, & in exortatione ad bonas artes. Népe cum repleti eius caput sit inutile, uinū autem halitu caput replet, ut ait Galenus eodem in loco. Idcirco uinum illi nocuum putarem, Propterea mihi suadeo Maiestati suæ potum peridoneum esse, hydromel in quo hyssopus, & saluia, decoquātur quæ quidem calfaciunt, & exiccāt frigidos, & crassos humores, & facultatem cerebri roborāt, auctore Gal. VIII. simplicium pharmacorum cap. CLII. ubi saluiæ, atq; hyssopi facultates magnificat. Quippe si quispiam uiderit Gal. III. de temperaturis, Maiestati suæ uinum nequaquā concederet. Sed roga uerit quispiam, si Gal. inquit. v. aphoris. commento. v. Vinum qualitate sua sanare, eam quam fecit ægritudinē neruos calefaciendo, atque exsiccando. Cur igitur suæ Maiestati uinum denegabis. Huic dicere arbitror, quia certius est uinum suo halitu cerebrum percutere, & grauare, cū hoc sit ei peculiare, quam sua qualitate neruos calefacere, & exsiccare

exficcare. Ideo tutius est in cerebri affectionibus uinum tollere, quàm illis errando tribuere.

Nempe si Maiestati suæ inuictissimæ ob metum, ut aiunt, aquæ inter cutem, à quo & gratia dei, & artis medicæ benè conualuit, uel consuetudine, uel inordinata appetentia, uel uiolento medicorum irritatu ad uini cogar potionem cõdonandam, sit eius uinũ album, uel coloris mediocris, imbecillium uirium, ut caput minimè percutere ualeat. dicente Gal. I. de Tuenda sanitate, & v. de locis affectis cap. v. Nã huiusmodi uinum, ut uentriculum robustum efficit, ita haudquaquam tentat caput. Id quod facere solent ea, quæ ualentiores uires obtinent. &c.

DE CARNIBVS.

Vetustorum itaq; animantium pedestrium carnes Maiestas sua cauere debet, ut bubula caro, auctore Gal. III. de facultatibus alimentorum cap. I. ubi ait. Bubula uerò caro alimētum ipsa quoque non exiguum, nec discussu leue præstat, sed sanguinem crassorem quã par est progignit. Quęcunq; igitur pedestria animalia temporis uetustate terrei alimenti naturam sibi concesserint, non optimi sanguinis, sed feculenti, facultati naturali aduersi, facile sunt procreantia Maiestati suæ nociui, ob adauctam atram bilem, quales sunt ceruorum carnes, & capreolorum, arietum, & uetustorum castratorum. Quippe & suilla caro omni administrationis modo ei contumax existit, uentriculum enim grauando crassum progignit alimentum, & sui natura non facile concoctionem recipiens, auctore Galeno septimo meth. cap. VI.

Sint itaque Maiestatis suæ carnes temperaturæ uergentis non immodice in calidum, & siccum. Quo fit, ut auiculæ omnes syluestres in arboribus degentes, ac uictum in sicis locis trahentes, admodum ei cõueniunt ut ficedulæ, turdi,

C O N S I L I V M

turdi, merula, Palumbi syluestres, frigellæ, & huiusmodi. Quod si domesticæ aues ad maiorem siccitatem ducantur, ut condimento parentur uidelicet hyssopo, saluia, betonica, roremarino, & similibus, quales sunt capones, gallinæ, & domestici columbi, carnesque hædorum, & uituli lactantis, & unius anni, & iuuenis castrati suæ Maiestati peridoneæ sunt. Conueniunt quoque ei admodum fasiani, perdices, coturnices, cuniculi iuuenes, iuuentulæ lepores, & potissimum earum cerebrum, hyssopo, & saluia paratum, longe fugiat Maiestas sua Aues omnes in aquis degentes, quoniam cum sua humida temperatura, ei satis noxiæ sunt, cum turbidos spiritus uirtuti animali male seruientes progignant, quales sunt Anseres, anates, & similes, Agninam quoque carnem Maiestati suæ contumacem fateor, ob id quod humidiores alitionem, quam par est conducit, auctore Galeno in libro de cibis boni, & mali succi. &c.

D E P I S C I B V S .

Cum apud Galenum sexto de usu partium capit. nono compertum sit, omnibus animantibus pisces frigidiores esse, naturaque humido abundantes. Sanè cum hoc non admittat uictus ratio in affectionibus maiestatis suæ. Idcirco ei pisces non concedemus. Illos sanè maximè, qui in cænosis, & sordidis aquis uescuntur, Porro & qui in paludibus, & lacubus capiuntur, excrementitia namque, atque mucosa est admodum eorum omnium caro, auctore Galeno tertio de potentiis alimentorum. capi. XXIII.

Fluuiarium uero piscium, non admodum ei noxia est caro, & tanto minus, quanto fluminis aqua, rapida, & multiflua est, ut ipsius torrentis fluxu pisces fatigentur. Quo fit, ut eorum caro minus excrementitia sit, minusque mucosa reddatur. Potissimum autem Maiestati suæ eorum piscium caro, parum noxia est, qui in puro natant mari. maximè

ximè cum uentorum afflatu mare agitatam attollitur. Dixit enim Galenus tertio de potentiis alimentorum, capite uigesimo quarto. In silente namque mari, nullisque agitato fluctibus tanto piscium caro uilior est, quanto minus exercitata. Nempe si Maieſtati suæ pisces admittamus, ad memoriam reuocare oportet, eos scilicet parare, saluia, hyssopo, chamæpyti, betonica, roremarino, ipsisque aliqua portiuncula cinnamomi confectis. Salitos pisces, minus uè carnes salitas Maieſtati suæ non dabimus, si præceptum Galeni secundo de compositione medicamentorum obseruabimus, sal molestum est, maximè in cerebro. &c.

D E O V I S .

Quæ ab alitibus oua nascuntur à Galeno tertio facultatis alimentorum capit. XXI. inter hominum numerantur alimenta. Quorum summam nutritionis laudem, gallinarum oua, demum fasianorum obtinere. Porro cum albuminis uis frigida sit, & glutinosa, maieſtatem suam incommodat. Solo igitur oui luteo eam uti nō ambigam. Sintque, oua ex eius comuni esu recētia, & non diu asseruata, hæc sanè recentia facile concoctioni obediunt. Diu uerò asseruata nedum concoctioni pertinacia sunt, sed prauorum succorum progignentia, ob quam rem dixit Galenus tertio de potentiis alimentorum, capi. XXI. uerbum hoc, recentium porro ouorum ad uetera, nō mediocris est differentia, Quippe optima, sunt recentissima, pessima perquam diu asseruata. Non sint quæ suæ Maieſtati largiuntur oua dura, ob id Galeni uerbum eodem in loco, cocta, seu oua durā difficilis sunt concoctionis, & tardi transitus, crassamque alimoniam corpori exhibent, quæ sanè cerebro nocua est. Porro eius oua sint tremula, atque forbilia dicente Galeno tremula, mollia uè oua omnium bellissimè nutriūt. Nempe & in aqua cocta sint, quæ
acceperit

CONSILIUM

acceperit oua, ob id, quod in feruentibus cineribus affata, longè tardioris sunt meatus, & crassioris succi. Quippe, quæ in sartagine condimento parantur longius distent à comuni usu Maiestatis suæ, ob illud Galeni dictum. Quæ uerò in sartagine ad crassitiem usque friguntur oua, deterrimi omnino sunt alimenti. Dum namque coquuntur nidorem, ac fumum edunt, succusq; ex his prognatus est non solum crassus, uerum etiam prauus, & excrementitius, oculis, & toti corpori inimicus. & c.

DE LACTE.

LAc numerandum esse inter cibos, qui ab animalibus proficiscuntur, compertum est à Galeno libro tertio, de facultatibus alimentorum cap. XIII. & in libro de cibis boni, & mali succi, Quod si Maiestatis suæ capiti attendamus, dubio procul, Lac ei denegabimus, iuxta illud Galeni quinto aphorismorum commento. LXIII. Lac uerò, quod benè concoquitur, nutrit, & bonos facit humores, & dum concoquitur, his pariter attollit ilia, & caput tangit. & cet.

DE CASEO.

Sermo est Galeni tertio de uirtutibus alimentorum capite. XVI. Caseum ex iniecto lacti coagulo formari. Quippe cum formatur acrimoniam accipit, totamque humiditatem relinquit, Porro & magis inueterato crescit acrimonia, & his calidior, & urentior redditur, concoctionique contumacior, & deterrimi alimenti, quamobrem à tota sui natura Maiestati suæ caseum minime dandum putamus, Quippe & facultatis attenuatoriæ crassorum corporis humorum caseus sit, plus porro damni ex succi prauitate, & æstuanti feruore infert, quàm crassorum attenuatio prodesse

desse possit. Sanè igitur, cum omnium caseorum hoc commune vitium esse solet Maiestati suæ omnem pernegabimus caseum. &c.

DE BUTIRO.

Cum ex eo, quod in lacte pinguisimum est, butyrum pro gignatur, atque leniendi facultatem sibi conducatur, concoquendi resoluendique vim habeat, auctore Galeno decimo simplicium pharmacorum. capi. XI. forte fortuna Maiestati suæ butyrum condonarem, lotum quippe hyssopi aqua, uel saluæ. &c.

DE OLERIBVS.

Quæ ex Oleribus Maiestas sua comedere debeat, Porro ex calfaciètia atq; ex siccatia sint, qualia hyssopus, menta, calamentum, fœniculus, sisimbrium, salua, betonica, rosmarinus, & similia. Hæc enim conuenientis sunt alimenti, attenuantis, discutientisque, & dissoluentis humores crassos, glutinososque, & uiscidos, à quibus in Maiestate sua surgunt uapores, caput, & oculos offendentes, functionemque uisuum occupantes: sint procul à sua Maiestate quæ sunt frigida, & humida temperatura olera, qualia sunt lactuca, endiuia, beta, spinachia, humida enim alimoniam gignunt, à qua caput uaporibus implentur, & spiritus aquei generantur, admodum oculis contumaces. & cet.

DE TERRAE BVLBIS.

Terræ autè bulbos Maiestas sua cauere debet, qui mordaci acrimonia præditi sunt, Qualia Cape, allia, ascalonia, porri, & huiusmodi. Horum enim assiduus

L usus

C O N S I L I V M

usus est euitandus, cum facultatem quandam alendi corporis obscuris simam habeat, auctore Galeno secundo simplicium medicamentorum. cap. ultimo & in libro de cibis boni, & mali succi. Quantum enim horum alimentum capiti nocuum sit, oculisque inutile, & incommodum, Quilibet in se ipso testimonium perhibeat. Sed uenirem ego in-
terrogandus, cū acria planē omnia, facultate prædita sint, excalfaciendi, atque crassos humores attenuandi, uiscidosq; incidendi, ut est Galeni sermo, indubitato ea esse innocua Maieitati suæ censendū uidetur, nisi accideret ea sua mordaci acrimonia, & alimonia obscuritate plus corpori noxia esse, quàm eidem imperio facultatis attenuandi, incidendique, & excalfaciendi, posse prodesse. Sanè Maieitati suæ domesticum, ac familiare edulium est enula, quippe & in solo illius esu gaudere debet, & omne, quo utitur condimentum uiribus enulæ præditum esse debet, si oculi incolumitatem cupit, & facultatis uisus perpetuam consistentiam, auctore Galeno sexto, simplicium pharmacorum & principe secundo Canonis. cap. CCXL. & c.

DE FVNGIS

FVngos quouis modo condiendi paratos Maieitati suæ admodum contumaces sunt, ne dum enim mali succi sunt, uerum & alimonia ex his prognata, pituitosa, gelida, que est, & os uentriculi uexans, ipsumq; pondere afflictū, ac fungorum praua qualitate affectum, nedum spirandi facultatem intercipit, uerum & animæ functiones interimit, auctore Galeno secundo de facultatibus simplicium medicamentorum, & Auicē. secundo canone. capi. CCLXXIII. ait
Ex fungis, qui non interficiunt accidit præfocatio. & c.

DE FRVCTIVS.

DE fructibus, quibus homines uescuntur, hos quidem Horarios Prisci nuncupant, qui in anni hora nascuntur,

tur, quippe anni horam uocantes id tempus, in cuius medio canicula exoritur, auctore Galeno secundo de facultatibus alimentorum. cap. secundo. Porro hos quidam terræ fructus nuncuparunt. Quales sunt. cucurbitæ, melones, cucumeres, pepones, & huiusmodi. Qui cum frigida sint temperatura, atque larga humiditate affecti, nedum humidam progignunt alimoniam, sed & exiguam, facileque è corpore excernibilem, ut Galenus dicere audeat, id genus omnia uitioso succo notata, ob quam rem, cum suæ Maiestatis affectionum causæ, humido incrementum suscipiant. Non ab re fructus huiusmodi ab ea distare putarem, quippe & hii, qui eo succedunt cursu, quales sunt persica, & mora.

Eos uero, quos arboræos fructus appellitant, qui hominum cibos adiuuant, auctore Galeno secundo, facultatis alimentorum capi. septimo à tota eius sui natura esu, non dabimus Maiestati suæ, Hii enim, quorum mollis, atque humida est consistentia, nedum humidam, tenuemque esse alimoniam corpori afferunt, uerum & flatuosam & capiti nocuam procreant. Quales sunt ficus, pira, mala, persica, armeniaca, cerasa, pruna, & tales. Nempe si appetentia pulsa Maiestas sua, quempiam horum cuperet, maturas ficus, atque uuas, ueluti minus nocuas ei tradi iuberem, minus enim prauis succi adgenerant, omnibus his, Qui fugaces, & autumnales uocantur fructus, Et si poenitus huius uitii non immunes reddantur ficus, auctore Galeno secundo alimentorum. cap. viii. Quippe & ipsi uentrem flatibus implent. Nepe poma feruentibus cineribus cocta Maiestas sua non nunquam esitare poterit, excalfaciens enim ignis, nedum humidum nocuum minuit, uerum & flatuosum spiritum sensim excernit. soluitque, Quod si ipsum hyssopi pulueribus superaspersum cum zuccharo in secunda mensa edatur, edulium ei peridoneum putarem, & eo quippe tempore cidonia sic pariter condita, superasperfa modico cin-

namomo & zuccharo, non uitupero, cum sua ui adstrictoria cerebro à uentriculo condonata, repellant uapores malos, qui à uentriculo surgentes soliti erant & caput, & oculos offendere.

Vbi uerò fructus essent facultatis huiusmodi adstrictoria non repellentes tamen uapores uel fumos ad caput eleuari assuetos sed plus eorum sit natura eos fouere, procreare, tales certè suæ Maiestati contumaces proclamarem. Quales sunt nuges iuglandes, & nuges auellanae, auctore Galeno serundo de facultatibus alimentorum, capite uigesimo octauo. Compertum enim est, cum nuges utraq; à uentriculo prorumpunt ad caput uapores, ipsum grauant, & dolores in eo excitant, & uisum obnubilant, imaginefque, & uertigines suscitant. & c.

DE LEGVMINIBVS.

CAETERUM ob id quod Legumina, nulla gratia, nullaq; iucunditate commendantur. Quippe & flatibus uentres admodum implent, auctore Gal. libro primo de facultatibus alimentorum, ea certè Maiestati suæ, cuius cūq; generis apparatus fuerint, ingratas escas pronuntiabo. Vbi autè inordinata appetentia ad esum eorum me cogeret, aliquando cicerum rubeorum iusculum Maiestatem suam forbere non denegarem, certè ei non admodum inutile puto fore, si tale paretur iusculum hyssopo, saluia, roremarino, betonica, & cinnamomo, marathroq;. Nempe sic paratum iusculum attenuandi, & abstergendi, dissoluendique crassos, atque glutinosos humores ui pollet. & c.

DE EXERCITIO, ET QUIETE.

HVMANI corporis excogitata dimotio, uiri docti, non solum ad sanitatis tutelam, uerum etiam ad bonam corporis

corporis habitudinem necessariam esse Prisci omnes prædicarunt. auctore Galeno libro primo de sanitate tuenda. Porro ut sua Maiestas bonam repararet ualetudinem, ei præcipere oportet, ut corporis motione, atque exercitatione gubernetur. His enim ne dum totius corporis uerum capitibus humiditates excrementitiæ expurgantur, dissolunturque, Quo fit, ut organa sensuum remaneant pura ab illis humiditatibus, quibus sua Maiestas & in capite, & in oculis corripiebatur, at quoniam non leue incommodum nonnullis accidit, cum repleti cibo se exercent, ut ait Galenus sexto de Tuenda sanitate, non ab re eam impleto uentre exerceri nollem. Ea inquam motione uaporibus plerunque impletur caput, fluxiones desuper cadentes progignentibus, admodum oculis noxias. Potissimum igitur eius dimotio sit ante cibum, quoniam ea uirium corporis robur augere solet, auctore Galeno sexto de locis affectis capite sexto. Quippe & ea exiguos meatus corporis expurgat, & excrementa pellit, & ob id dixit Galenus secundo de sanitate tuenda uerbum hoc. Vtilius est ante cibos exercitationem adhiberi. Vbi uero motionem corporis impedimentum suæ Maiestati occurret, ad has quidem motiones ducere soleo leues frictiones & capitis & corporis totius. Hæ enim, quæ extrinsecus sunt, rapiunt, quæ uero in intimis sunt discutunt, & uasa mundant, & à desuper deorsum trahendo oculos puros, & nitentes reddunt, & hic est Galeni sermo secundo de Tuenda sanitate. &c.

DE SOMNO, ET
VIGILIA.

SI ambo uidelicet somnum, & uigiliam coniectari uolumus, Hæc sane fieri secundum innati caloris motiones conperiam, auctore Gal. u. aphoris. primo somnum quidem ad
intima

C O N S I L I U M

intima corporis, uigiliam uerò ad exteriora natiuo calore promotò. Ob quam rem cum in somno multo, natiuo calore ad intima uocato ex halitibus multa quantitas capiti ingeratur, quibus fluxiones oculos, & totius corporis cavitates implent, ut Galenus sensit. Idcirco Maiestatem suam nollem multo gaudere somno, Quippe cum in diurno somno causa caput, & oculos, & dentes, & cetera corporis membra, offendens, concreascit, non ab re ipsam lubentissimè à diurno somno priuari omnino crediderim. Sed uenirè ego interrogandus, cum somnus multus, diurnusque, sit suæ Maiestati assuetus. Et dixit Hippocrates secundo prædictionum. De somno quemadmodum ex natura, & in consuetudine est. Igitur si consuetudo sit natura, ut etiam dixit Galenus secundo de temperaturis. Dixitque in secundo de ratione uictus acutorum commento xxxiiii. Vbi ait consuetudinem admodum fortem rem esse, à cuius permutatione ad contrarium, maximum insurgit corporibus nocumentum, cæterum dixit Galenus secundo prædictionum commento undecimo. Quod consuetum est, bonum est, inconsuetum uerò malum. Igitur si suæ Maiestati somnus multus, diurnusque assuetus sit, eidem bonus est, contrarius uerò malus, sanè non me latet, quod ob uictus rationem quam secundum naturam, Prisci Hippocrates tempore, obseruabant, non dissonum fuisse dicere non aliud esse ex natura, & aliud in consuetudine, quoniam hii in his tantum, quæ secundum naturam erant, consuetudinem sibi uendicabant. Quo fit, ut rectè dicatur tunc temporis, quod consuetum est, bonum est, & quod inconsuetum malum. Nostris quippe temporibus, cum uiri, mulieresque uictus rationi præter naturam, magis assuescant, non ab re Hippocratis sententia nullam apud nos ueritatem obtinebit, uidelicet, quod non aliud fuit ex natura, aliud in consuetudine, neque sanè apud nos uerum est, quod consuetum est, bonum est, & inconsuetum

fuetum malum. Sanè tamen si quid ex uictus ratione præter naturam, consuetum factum est, non quippe bonum est, neq; quod ex uictus ratione secundum naturam factum est inconsumetum est bonum, sed malum. Propterea non quæcunq; sunt secundum naturam, idest consuetudinem bona sunt, quoniam consuetudo acquiri potest ex ratione uictus præter naturam, ex qua nihil boni contingit, pariter quoque & si Maiestas sua Inuictissima assueta sit multo, & diurno somno, cum hanc suscepit consuetudinem à uictus ratione præter naturam, proculdubio non erit suæ Maiestatis somnus multus, ac diurnus, bonus, Quo fit, ut ab eo amouenda sit, quoniam non est adhuc Maiestas sua in pallida senecta constituta. Non quippe ab eo repente mutatio fieri debet, tum quia repente illius somni consuetudinem non suscepit, tum quoniam natura subitas mutationes tolerare nequit. Et ob hoc Maiestas sua non incurret nocuumentum per transitum ad rem insuetam, quoniam sensim & non confestim in hoc permutari contingit, ut est Galeni sermo tertio artis medicæ. Hortor igitur Maiestatem suam, ut uetustam illam multo, ac diurni somni assuetudinem, quam modo possidet, sensim negligat, perdatque seruato Galeni, ac Hippocratis documento secundo aphorismorum textu, & commento quinquagesimo. &c.

DE GAUDIO ET TRISTITIA.

Cum nimio gaudio facultas animalis, ad exteriora fertur, si quid antea, ei adfuerit roboris, dum exteriora petit, discutitur, atque dissipatur, ut nonnulli supra modum pusillanimes repente mortui sint, auctore Galeno secundo de causis symptomatum, fit autem contra tristitia reuocato spiritu, & calore ad cor, ut etiam contingat aliquando præ spirituum multitudine in maiori tristitia,

tia, quàm oporteat, natiuus, calor in corde suffocetur, & homo repente animam agat. Propterea Maiestas sua moderatè gaudeat haudquaquam plus opportuno, ne ualido motu ac feruore animata facultas ad exteriora, ita feratur, ut exoluatur, laxeturque. Pariter quoque Maiestas sua non supra modum tristetur, ne forte fortuna tanta spirituum copia cordi contingat, ut ipsi confundantur, adstringanturque, & cordis calor natiuus perdatur, ob mœstitiam quippe caueat Maiestas sua à frequenti lachrymarum ab oculis præruptarum emissionem. Hæ enim lachrymæ defluxionem quandam de capite decumbentem, ortam à compressis cerebri partibus indicat, ut ait Galenus primo prædictionũ commento. XIII. Quo fit, ut fluxiones illæ ad oculos pertingentes, in his lippitudines, imagines, uertigines, uisionẽ imbecillem, dolores, tumores, rosiones, scabrities progignant. Quæ omnia Maiestatem suam acerrimè perturbant. Perdat igitur lachrymas Maiestas tua, & per iouem tuarum affectionum causam perdes, & abolita causa non constabunt effectus, auctore Galeno secundo aphorismorum commento. XXII.

DE INANITIONE, ET
REPLETIONE.

DOcti uiri, uitæ Regiæ Maiestatis moderatores, non uos admirari uellem, si uitiosam ciborum, impletionem, & malorum succorum copiam, simplici uerbo à me damnari dignoscetis. Sane cogor id fateri Galeni uerbo primo aphorismorum commento tertio ubi ait. cum enim uasa cibus, ac potibus fuerint supra modum repleta, periculum est, ne disrumpantur, aut calor natiuus suffocetur, & extinguatur. Ob quam rem cum omnis immodica plenitudo morbos progignat, uel foueat, ut ait Galenus in libro de plenitudine, & tertio artis medi-

ca. Nō ab re hortarer Maiestatem suam in cibis & potibus seipsam parcè gubernare: ut ne in eam, quam plenitudinem humorum nominant, facile incidat, seu in ea foueatur, quoniam ab ea Maiestatis suæ affectiones nedum foveantur, quinimo incrementū suscipiunt. Idcirco parcè eseret, forbeatque, ne ciborum, ac potuum copia, pulsis à uentriculo uaporibus ad caput, excitentur causæ, uel progignantur suarum affectionum, cæterum potius moderatè uentres suos inanire studeat, aut cibi & potus parsimonia, aut sensim cum purgatorii medicamento euacuatione, ut postea dicemus. &c.

MEDICATIO PER POTIONEM.

CUm iam à nobis ostensum sit, quali uictus ratione Maiestas sua inuictissima uti habeat, alteram rem, quæ est per potionem medicatio, aggrediar. Quam morbi profligandi facultatem libro primo de sanitatis tutela Galenus appellat. Verum quoniam suæ Maiestatis morbus diutinus est, ut cæteri morbi longi, ob crassos, lentos, ac frigidos fiet humores. Quo fit, ut non facile concoqui possint, ut est Galeni uerbum secundo aphorismorum commento. XIX. Quippe in patiētibus particulis impacti sunt, atq; agglutinati, adeo quòd eorum naturæ magis præ duris tumoribus, quam inflammationibus assimulantur, ut Galenus sensit, Idcirco curationis modus affectionis suæ Maiestatis eadem medicari die, ut in acutis non expedit. Quippe in his eadem medicari die, non modo irrationalis est, uerum & fallax, atque perniciosus est modus, auctore Galeno primo aphorismorum commento uigesimo secundo. Quo fit, ut huiusmodi affectū sensim medicari opere pretium sit, tum altero die morbi causam æquando, tum concoctum excernendo, ueluti edocuit nos Galenus primo aphorismorum commento uigesimo quarto, & secun-

do aphorismorum commento nono.

Sanè igitur nullo porro ductus errore mihi suadeo Maiestatem suam binis medicationibus per anni tēporis spatium, medicari oportere, altera uernali, Altera uerò autumnali, temporis initio. Quippe huiusmodi medicationes præcauentes erunt morbos, qui futuri sunt, atque curantes illos, qui iam adsunt, ut præcauendi atque curandi morbos eodem aggrediar scopo.

At quia à doctis, & optimè expertis Maiestatis suæ medicis, tot, & tanta præsidia Maiestati suæ oblata sunt, tum ad morbi initium, tum ad eius processum, ut ferè in morbi profligatione nihil remanserit, super quod & ratiocinari & experiri possim, attamen ut boni coqui fungar officio pro huius Reginae benè merita salute sic loquar.

Fretus ego tot, & iam tantis præsidiiis Maiestati suæ adhibitis, tum concoquendo, tum purgando, tertium medicationis instrumentum aggrediar, uidelicet, & uenarum sectiones, & id quod urendo manu posita à nobis effici solet, indubitato igitur iubeo clysterio leniente prius appposito, ut uenæ illæ, quas emorrhoidas nominant, hyrudinibus referentur, cum suæ Maiestatis affectiones quid melancholici sapiant, & ait Hippocrates sexto aphorismorum. Melancholicis, & nefreticis, emorrhoides innatæ bonum, tum quoniam à capite, per directionem euacuant, tum quoniam affecto lieni hypochondriacæque passioni, qua facile posset Maiestas sua corripere obsequium præstant, tum etiam ut ait Princeps, simul unà à capite uapores, & materiam euacuant, Sitque earum sanguinis euacuatio, donec quattuor exierint uncia. Hac positione hyrudinum acta, certè satis diuertente, deriuatione utendo, iuxta modum Galeni secundo artis curatiuæ ad Glauconem, & tertio artis medicæ, uenis post aures admouerem, & ut etiam natura assuefieret ad defluxum contrarium. Demum uerò, ut

rò, ut ad maiorem agerem deriuationem, & ad materiæ propinquam euacuationē, narium uenas intus aperirem. Deinceps uerò angularem uenam offensi oculi secarem ea parte, qua morbus infestat, tunc enim antiquati morbi materia exquisitius euacuabitur. Sane non uellem quempiam mihi obiicere Maiestatem suam alias in aquam inter cutē propensam fuisse, cum audierim eam ualidè & exquisitè beneficio dei, & artis liberam euasisse. ob quam rem cum hoc fieri non possit, nisi iecoris natura ad suum pristinum reuertatur statum, qui ut diximus est sanguinis aggeneratiuus. Igitur ob has sanguinis missiones non terrerer elegantius in ocularibus affectionibus suæ Maiestatis sequi obsequium, quàm nocumentum, quod ex timore aquæ inter cutem futuræ, inualefcere posset.

Cæterum ut completam curationem omnium capitis, ac oculorum affectionū suæ Maiestatis adipisci ualeamus, opus illud, quod urendo perficitur, non prætermitti iuberem, propter ea, quæ in sexto de morbis uulgaribus scribuntur à Galeno, & à Principe in tertio canonis pluries, sua enim abundanti siccitate, cerebri humiditates consumuntur, ut hinc & inde defluere nequeant, præter hoc etiã quod uigente calore, sicco adiuncto, membrum effectum frigidum & humidum admodum confortatur, ut ait Aristoteles quarto methcorologicorum. Ob hæc igitur, ut obseruarem præceptum Galeni quinto aphorismorum commento sexagesimo octauo, ubi ait. Sic itaq; diuturnæ oculorum fluxiones sæpius sanatæ sunt, ex partibus secūdum occiput misso sanguine una cū cucurbitulæ usu, ita & nos loco eorum subsidiorem ea in parte cauteria soliti sumus admouere, diuturna enim perseuerate in diutinis morbis, euacuatione sensim facta, maius obsequium ducit, quàm repentè, & præcipitanter facta, ut docuit Galenus primo aphorismorum commento uigesimo quarto, & secundo aphorismorum commento nono. Admouerem igitur in

effectu uel potestate, duo cauteria, duas suæ Maiestatis particulas urendo, uel ad minus alteram earum. Sanè hoc fore peridoneum præsidium suæ Maiestati nihil ambigo. Quippe sit primum in colli spondilium secundo uel primo, ubi collum iungitur craneo, Secundum uerò in brachio sinistro longe à superiori iunctura partis syluestris spatio digitorum quattuor, & tandiu aperta ferantur, donec Maiestas sua, in solitam ualetudinem perueniet, quam breui temporis interuallo deo uolente adipiscetur, ob dictum Galeni sexto de morbis popularibus, & albucasis, ubi aiunt, his uestionibus adhibitis, humores, qui cerebro subiectas partes occupant, foraminibus illis ad exteriora corporis ducuntur. Vbi uerò Maiestas sua tot uestionibus moleste grauaretur, consulo, ut unam earum ad minus nequaquam aspernantur, cum ex his, uel eorum altero insigni, ac peridoneum iuumentum Maiestas sua concapere ualeat. Non lateat tamen Medicos suæ Maiestatis priusquam eam operibus manuû submittant, quod conuenienti medicamento purgare eam non negligant, propter uerbum Galeni tertio artis medicæ, ubi ait, medicum uolentem oculum curare, prius corpus totum, & inde caput curet, aliter enim periculum esset, attractionis maioris copiam humorum ad oculum. Et hæc de tertio medicationis suæ Maiestatis instrumento.

Reuertar igitur ad id, in quo fui, uidelicet ad secundum medicationis instrumentum, quod est medicinarum exhibitio. Et pro consulto Maiestatis suæ dicam, initio igitur ueris transacto, Maiestatem suam medicamentis purgari iubeo. Porro purgationibus peridoneum est id tempus, auctore Galeno in libro de sanguinis missione. Verum quoniam Hippocrates nos edocuit secundo aphorismorum nono, & Galenus primo aphorismorum commento uigesimo quarto, ubi ait. Vbi quis corpora purgare uoluerit, oportet fluida facere, mihi nempe assuetudo est, fluidum

dum in primis corpus efficere, medicamento à latiori-
bus uis educente, ne à prauis eorum flatibus principa-
lium uires offendantur, in quibus prima medicantis in-
tentio locari debet, auctore Galeno nono metho. com-
mento decimo quinto. Hæ enim imbecilliores ob id affe-
ctæ, proximã morbi causam, concoquere nequirent. Prius
igitur deuoret Maiestas sua antequam per horam uentricu-
lum impleat, quod sequitur.

Floridæ cassiæ recenter eductæ drachmas decem accipi-
to, betonicæ in subtilem puluerem ductæ drachmam u-
nam, & mediam ei admisceto, & bolum conficito, & uo-
randum dato. ●

Altero nempe succedente die priusquam solis ortus
adueniat, antidotum hanc suæ Maiestati commodam,
septem non intermittentibus diebus, potandum, calidam
tribues. Crassos sanè, ac glutinosos, frigidosque humo-
res, concoquit, attenuatque, ac dirumpit, cerebrumque ro-
borat, & uisui, & oculis ualde adminiculatur.

Radicum acori, stæcados, satureiæ, maioranæ, saluiæ, be-
tonicæ, calaminthes mentastri, origani, marathri. de quoli-
bet quantum manus capere potest, accipito. Radicum en-
diuiæ, buglossi, de qualibet. Vnc. med. sumito. Ex his om-
nibus coctis, ut decet, cum saccharo optimo fiat syrupus,
cum quo unica ebullitione quæ sequuntur ligata in panni
linei fragmento decoquito, cinnamomi, gariophyllo-
rum, cubearum, nucis muscatæ, sem. pæoniæ, rosarum
rubeorum, corallorum rubeorum, spicæ, anisorum, de
quolibet scropul. i. assumito, puluerizato, & sic ebulito, &
colato nulla expressione adhibita. Eo igitur syrupo sic uti
debet sua Maiestas syrupi rosati, syrupi de succo fœniculi,
de quolibet. Vnc. med. accipito, syrupi iam confecti. Vnc. i.
aquam fœniculi, scabiosæ, & betonicæ, de qualibet. Vnc. i.
syrupis permisceto, & potui dato. Sane octaua die in-
ditiis concoctionis apparentibus, priusquam nox è tene-
bris

C O N S I L I V M

bris ad lucem uertatur duabus horis, sequenti purgatorio purgetur. Mannam optimam pondere unius unciae accipito, diasenae lenitium, diacatholiconem, de quolibet pondus drachm.iii. accipito. Reubarbarum optimum ad pondus unius drachmae, non infundatur, ut humores etiam crassos excernat, ellectuarium de succo rosarum ad pondus drach.ii. sumito. Et haec omnia in decocto comuni capitali soluito, & potui dato. Consuetudine sane seruata, quam plerique medici in purgationibus seruare solent.

Vbi uero medicinarum potiones gustum Maiestatis suae perturbarent, iuberem sequentem bolum Maiestatem suam ingurgitare. Agaricum in oxymellite paratum, pondere scropul.ii. accipito. Turbith bonum, cum paulo zinziberis puluerizatum pondere. drach. i. & med. ei iungito, cui etiam Reubarbarum cum portiuncula spicae pariter puluerizatum pondere scropul.iiii. apponito. Mannae. Vnc. med. atque zinziberis uiridis. drach. i. omnibus permisceto, & in bolum conducito, & eadem hora exhibeto.

Vbi uero Maiestas sua libentius pillulas assumeret, erunt sane Maiestati suae commoda & peridonea, quae sequuntur pillulae. Pillulas aureas Nicolai, pillulas sine quibus, pro utraque earum scropul. i. accipito pillulas lucis pondere. drach. med. his iungito, & ex omnibus cum syrupo de stacade, pillulas quinque conficito, & eadem hora dato.

Coeterum eo temporis interuallo, quo totum uernale tempus finietur, succedente quippe hyberno tempore, uno cuiuslibet septimane die, cum Maiestas sua cubare, uoluerit, iuberem eam, unam de sequentibus pillulis ingurgitare. Turbith boni, agarici electi, cuiuslibet. drachm. ii. accipito, ellebori nigri praeparati drachmam unam, Reubarbari electi. drach. i. & med. spicae grana. vii. sumito. Zinziberis, spicae, utriusque, grana. iiii. seminum paeoniae, seminum citrii, cuiuslibet drach. i. sem. foeniculi, anisorum, be-
tonicae,

tonicæ, de quolibet. drach. i. Epithimi. drach. med. prædictis iungito. Mirabulanorum citrinorum, & indorum, cuiuslibet. scrop. ii. specierum hyeræ simplicis Galeni. Vnc. i. diagridii. drach. med. Hæc omnia cum aliis misceto, & omnia in subtilem puluerem reducito, additoque ellectuario rosato mesue, pasta pillularum conducatur. Dosis numero. i. scropulum unum.

Consulo quoque omnibus duodecim diebus Maiestatem suam bolum sequentem prope diluculum ingurgitare, eo quippe die non ingurgitata pillula, parumque superdormiat. zinziberis uiridis. Turbith boni, cuiuslibet drach. ii. accipito, & bolum conficito, & suæ Maiestati dato. &c.

Consulo iterum cum sua Maiestas accumbere uesperu uoluerit, sequentis mixturæ quantitatem nucis auellanæ sub palato detineat, donec sensim lambendo totum descēdat, conseruæ Itacados, conseruæ anthos, zucchari rosati, de quolibet. Vnc. i. accipito, & mixturam conficito.

Cæterum Medicus mentem habere debet, ad imaginum apparitiones coram oculis, ne Maiestas sua in suffusionem procidat. Roborabit igitur oculum, uetabitque omnem præsentem, ac futuram affectionem oculis suæ Maiestatis contingentem, si crebro oculos diluet, sequenti oculari aqua. Vini albi aromatici. lib. ii. succi foeniculi, succi uerbenæ, succi plátaginis, cuiuslibet. lib. med. accipito. Lapidis calaminaris ter extincti cū aqua rosacea, & iterum ter extincti in urina pueri non polluti. Vnc. ii. lapidis tutiæ pariter extincti. Vnc. i. & med. sumito, & his addito ligni aloes, xylobalsami, utriusque. Vnc. med. his omnibus puluerizandis in subtilem puluerem redactis iungito, fellis perdicis, fellis lucii utriusque. Vnc. iii. aquæ rosatæ extinctionis dictorum lapidum lib. i. omnia quippe simul in alembicco uitreo ponatur, & distilletur aqua, quæ inde usui seruetur.

Vbi uero tuberculum palpebræ, in Maiestate sua curationem non admitteret, cum his, quæ dicta sunt præsiidiis,

tum

tum ex uictus ratione, tum ex officina chyrurgiæ, tum ex medicinarum potione, si molle tuberculum est continuè quippe consistens, & non quandoque delitescens, sit medici intentio resolutio, sanè per quindecim dies non intermittendo, cum spongia madefacta in dicendo liquore, mane, uesperique foueatur tuberculum id. Cooperose in subtilem puluerem ductæ. lib. med. radicum ebuli per frusta paruula diuisarum. Vnc. ii. ebuliant unica forti ebullitione simul in uini albi potentis. lib. iiii. & cum miti caliditate fiat, ut dicitur.

Cœterum consulo, peractis iam dictis diebus Maiestatem suam portiunculam ceroti subscripti supra corium exenti tuberculo appositam ferre, peridoneum enim tuberculi dissolutionem non longo tempore sequi, dignoscet maiestas sua. &c.

Aluminis iameni puluerizati. Vnc. i. ammoniaci puluerizati drach. ii. bulbi sub cineribus cocti. drach. i. & med. capitum stincorum. drachm. ii. & med. Quippe stinchi marini prius assari debent in ciato nouo corticis cucumeris syluestris drach. i. accipito, & subtilissimè omnia simul puluerizato, sanè pulueres diu cum melle, & aqua uitæ, atque comuni oleo antiquissimo æquo pondere permisceto, & diu ducito, donec consistat ueluti pasta, quædam, cui adde paululum ceræ, & usui serua.

Vbi uero tuberculum ueluti callus palpebræ induratum foret, prius mane, & uesperis per uiginti dies tuberculum subscripto unguento ungetur, uesperis tamen superponendo portiunculã lanæ succidæ in unguento emolitæ.

Medullã cruris anterioris uituli. Vnc. ii. accipito butiri, pinguedinis gallinæ, de quolibet. drach. iiii. sumito, pinguedinis recentis porci masculi, dialthæ, de quolibet. Vnc. med. aliis iungito, omniaque simul tepido igne bulito quousque omnia liquecant uti unguentum, & usui serua. Postea opere precium est ad cerotum dictum reuerti. Vbi

uerò

uerò tuberculum palpebrarum in Maiestate sua factum foret uti callus, recurre ad Galenum, quarto de compositione pharmacorum, secundum locos, & multa expedies.

Vbi forte fortuna tuberculum id exituram purulentam promitteret, cum his iam expletis præsiidiis, complementum suppurationis eius exequamur, appposito sequenti emplastro. Succum altheæ, & maluæ, butirumque, & masticatum triticum, cum succo yreos, & gallinæ pinguedinem, singulorum. Vnc med. accipito. croci. scropuli. iungito, & omnia in mortario bene ducito, donec fiat unguentum, quod super succidam lanam extensum tuberculo apponatur. Et ubi disrumperetur, mundificetur, abstergaturque, & exsicceetur, atque consolidetur, cum diaquilone, magno, & dyaponpholigone Galeni simul mixtis. Cum enim morbus sit in membro cartilagineo, unguentum illud omnes expedit intentiones.

Nempe uenirem ego interrogandus, si priusquam tempus uernale terminum suum possideat, Nonnullæ naturales sint thermæ Maiestati suæ peridoneæ. Huic dicere aude rem, si præceptis salutaribus Galeni, & Principis assentiri cupiam. Quæ ex naturali minera sulphurea, atque alumino-fa, salsa uel uitrosa aquæ scaturiunt, indubitato suæ Maiestati peridoneæ sunt, non quippe epote, cum defluxiones à capite earum facultate excalfaciante, & exsiccante præcipitanter magis irruerent, & suas affectiones auferent. Vbi uerò eas aquas ad contexturam coronalem ex alto cadentes maiestas sua susciperet, quin ei insignæ præsiidiū adueniret nequaquam ambigerem, illis tamen exquisitè seruatis, quæ simili aquæ cadenti obseruiunt, congruuntque. Igitur intrepida fronte iuberem, priusquam uernale tempus à nobis effugiat, Maiestatem suam sulphureas, ac alumino-fas thermas aggredi debere ob crassos, ac glutinosos humores Maiestatis suæ, caput tenentes, & ad læsas partes irruentes, uaria uitiorum genera eas excitantes. Horum

N quippe

quippe uitiosorum humorum, & pituitosorum, maximū remedium est eos destruere, & consumere, Porro hoc fit per attenuantia, & abstergentia medicamenta, atque exsiccantia, auctore Galeno septimo de compo. med. s. l. capite tertio, quale est sulphur, ut dixit Galenus nono simplicium medicamentorum.

Verum eam aquam ad contexturam coronalem ab alto cadentem, ualentius suscipere iubeo. Quo fit, ut fluxioni fouenti, quod in sua Maiestate iam uetustum est, salutare remedium conducatur. Eo enim occurso quod frigidum est calido alterabitur, Quod crassum attenuabitur, Quod uerò humidum est, ualentius exsiccabitur, & capitis uires consolabuntur, ut pituitosum humorem nō progignant, & prognatum soluant.

Nempe Thermae Maiestati suae conuenientes sunt, quae in sulphuræ, ac alumine non admodum sunt eleuatae, ne plus exsiccet, quàm oportet, tunc nocumenta siccitatis Maiestatis suae essent deteriora his, quibus modo affligitur, & ob huius aquae functionem, facultatis animalis organa non grauabuntur. &c.

Aquae suae Maiestati peridoneae apud nos Italia sunt, quae in comitatu patauino sitae sunt, ut abbani, & Sanctae Helenae, & similes.

At nollem quempiam mihi obiicere, cum omnium thermarum aquae è minera scaturientes calidae sint, & suae Maiestatis cerebrum calidum sit, non ne ex casu aquae Thermarum ad contexturam coronalem cerebri caliditas adaugebitur, & eliquationes concrenent, nisi esset quòd huiusmodi aquae ualentius exsiccando operantur, quàm calefaciendo.

Verè dixisti tu, suae Maiestatis cerebrum plus humidum, quàm calidum fore, indiget igitur maiori exsiccatione, quam, sanè tales aquae operantur. Vel dicerem uocor medicari temperaturam cerebri praeter naturam, quam modo

do dixisti tu frigidam esse, & humidam, ob quam si usu moderato moderateque aquæ in qualitatibus suis Maiestas sua Duciam suscipiat, grande quippe iuuamentum consequetur, absit etiam Maiestatem suam submitti debere, frigida Ducia, tum quoniam frigidi humores in cerebro illius compingerentur, & cerebri frigidi morbi progignerentur, quod Deus auertat, tum quoniam frigidum inimicum cerebro, ut ait Hippocrates quinto aphorismorum. XVIII. & c.

Ob errata, quæ in uictus ratione contingunt, non modo morbi fiunt, uerum & ab anni temporibus, quorum naturæ, atque mutationes morborum naturis affines sunt, auctore Galeno tertio aphorismorum, commento. XIX. Quippe cum hyberno tempore cerebri affectiones uigere solent, auctore Hippocrate tertio aphorismorum uigesimo tertio. Non ab re Autumno procedente Maiestatem suam iteratò, purgatoriis uti medicamentis, ut ab initio curationis exposui, facilè iuberem. Quippe cum autumni tempus ad nos aderit, eam septenis subscriptis sorbitionibus nequaquam intermittente, die priusquam nobis sol elucescat, uti uellem, syrupum de stæcade, syrupum de hyssopo, syrupum rosatum, syrupum de succo fœniculi, quorumlibet. Vnc. med. accipito, quibus betonica, aquam fœniculi, uerbenæ commisceto, & potui dato. Cæterum cum coctionis inditia apparuerint, sic Maiestatem suam purgato. Pillulas cochias almansoris, pillulas sine quibus pillulas aureas Nicolai, quorumlibet scropul. i. accipito, & partes duas scropuli unius misceto, & pillulas quinque conficito & ante lucem exhibeto.

Hyberno nempe tempore succedente, quod experientia frequentius didici, Id Maiestati suæ præsidium salutare esse non ambigam, uidelicet si octo dierum spatio, ac temporis interuallo. Terbinti resinam cum aqua fœniculi lotam semel atque iterum non pleno uentriculo, Maiestas

sua deuoret. Dosis esto quatuor drachmarum uel sex. Vi-
di hoc apud Galenum libro quinto de tuenda sanitate, ubi
ait. Similiter & terebinti resina. Sumitur autem aliquando
nucis ponticæ magnitudine, aliquando duarum triumq̃.
Quippe non modo aluum soluere citra noxam potest, sed
etiam uiscera omnia abstergere. &c.

Verū enim uerò peractis purgationibus, quippe & præ-
cedente sanguinis missione, siue uernale, siue autumnale
tempus adfuerit, cum in nullis suæ Maiestatis affectioni-
bus aquam decocti ligni Guaicani, cōtumacem reperiam,
lata mēte iuberem maiestatem suam eius potioni submit-
ti debere, obseruatis his omnibus, quæ ad uictus rationem
attinent. Et hæc pro salute suæ Serenissimæ ac Inuictissi-
mæ Maiestatis.

Dixi ego Benedictus Victorius Fauentinus, ætatis meæ
annorum septuaginta duorum, & annorum quin-
quaginta practicæ, ac Lecturæ meæ nunc in Do-
ctissimo Gymnasio Bononiensi Theoricā
medicinæ publice edocens, ad illius
gloriam, qui nos regit, & mun-
dum, caelosque gubernat.
& cet.



AD AEGRITVDINEM, QV AE OPHTHALMIA NVNCVPATVR,

Pro nobili iuvene Domino Stephano
Augustino Foroliuensi.

Consilium IIII.



DRVDENS & modestus Iuuenis Stephanus de Augustinis Foroliuensis patitur genus quoddam aegritudinis comuni nomine appellatum ophthalmia, Et est Apostema in oculi tunica qua ab anatomicis adnata uocatur, & hoc propter dissolutionem, & fluxum consuetum humoris ad tunicam adnata

ram. Patitur quoque, ut aiunt, propter eundem fluxum humoris ad oculum, secundum genus aegritudinis, quod uulgo cataractam dicunt latine suffusio nuncupatur, & hoc propter decursum materiae aquosae collectae intra pupillae foramen, patitur & tertium genus aegritudinis, quod debilitatem uisus appellamus non multo longinquam ab ablatione uisus, praecipue in oculo in quo congregata est aqua ad generationem suffusionis. Cupiens autem ab omnibus is dispositionibus praeternaturam sanari, petit consilium, & sic deo auxiliante super propositum negotium consulendo discurram super quattuor principalibus. Primo complexionem huius aegrotantis naturalem & totius, & membrorum principalium discutiam propter illud dictum Galeni secundo de ratione uictus auctorum. Nullus se ingerat ad medicandum, nisi prius complexionem aegrotantis cognoscat, facile enim illi error contingere, posset. Secundo essentiam aegritudinum, quibus molestatur aegrotans, examinabimus, non negligendo cognitionem omnium causarum, a quibus pendunt praedictae dispositiones praeter naturam. Tertio principaliter

cipaliter curam illarum ægritudinum perstringemus. Quarto de prognosticis aliqua iudicando in his dispositionibus in medium adducemus. Quantum igitur ad primū iudico ipsum quantum ad complexionem totius naturalis sanguineæ complexionis à subdominio uerò biliosæ, adsunt enim signa super hoc utriusque data à Galeno in secundo artis medicæ. tangentibus etenim illius membra calida apparent, ad rubedinem declinantia, minus pinguedinis habentia à pilositate non omnino denudata, & à flauo quodam colore non omnino aliena ipse autem mitis est, & in consuetis sibi operationibus amicabilis, & mansuetus, facile iracundus, & à benignitate sanguinis bilem moderantis facile ad benignum reducitur, propter quæ signa data à Galeno confirmata ab Auicenna in secunda primi. Concludimus ipsum à dominio sanguineæ complexionis, à subdominio uerò biliosæ, propter quod non fugit aptitudinem casus in ægritudines sanguineas, uel cholericas ex sanguine in bilem conuerso. Epatis calidi, & magis quidem calidi, quam humidum, cum propter illius adauctam caliditatem humidum exsicce- tur, propter quod & ipsum epas in isto post primam sanguinis generationem, aptum est notabilem bilis quantitatem aggenerare, & merito huius promptus est ad facilem casum in ægritudines biliosas, cum epas illius ex sui naturali complexionem adauctam illius caliditate præter naturam aptum sit multam bilem generare sanguinis in bilem conuersione. Cerebrum autem complexionis calidæ, & humidæ attestamur, non etenim quæ circa caput extant rubedine, & caliditate priuata sunt, & quæ in oculis uenæ existunt rubeæ, & sensibiles manifeste iudicantur, à calidis equidem immoderate illi aduenientibus offenditur, & quantumcumque ex parte caliditatis cerebri huius, superflua ex propriis emunctoris expurganda, pauca deberent esse. iuxta Galenum secundo artis medicæ, quia
 tamen

tamen caliditati illius cerebri maior humiditas copulatur plurima fiunt hæc superflua, abundat enim illius cerebrū maiori humiditate, quàm caliditate propter hoc, quoniã ex calefacientibus, & humectantibus maxime repletur illius caput, & grauatur, ut ex cibis, & potibus, & odoribus, & aliis extrinsecis accidentibus, & maximè ab aere continente nos, quibus omnibus humiditate abundantibus caput illius maximè læditur. De cordis autem complexionione non opus est in præsentiarum aliquid dicere, cum non faciat multum ad scopum, quem habemus in curatione ægritudinum, quibus molestatur ægrotans. De stomacho autem puto ipsum alias fuisse complexionis stomachi declinantis ab æquali ad pondus per calidum, & humidum, cum ex relatione patientis habeatur ipsum fuisse bonæ hystrimbræ, nunc autem puto stomachum declinare ad frigidum, & humidum, & hoc cum pedetentim facta quadam, & successiua mutatione possit naturalis complexio permutari, ut habetur tertio artis medicæ continua etenim humiditate quæ à capite defluxit ad stomachum merito complexionis humidæ abundantis in cerebro caliditas stomachi potuit obtundi, uel frangi, ut stomachus ipse deductus sit ad frigiditarem quandam, partim ex priuatione caloris naturalis, partim ex appositione materierum phlegmaticarum ad ipsum stomachum deuenientium, quibus effumantibus ad ipsum cerebrum addunt ad maiorem illius humiditatem, & ad facilem casum cerebri, & ortorū ab eo in ægritudines humidas, sicut in suffusionem in lachrymam oculorum & huiusmodi. Et hæc sint de temperamento totius, & membrorum quæ spectant, ad præsens negotium.

Transeo ad secundum principale, in quo examinabimus dispositiones præter naturã, quibus molestatur æger iste earumque, causas non subticemus. Patitur æquidem primum genus ægritudinis, quod ophthalmiam diximus, quæ

quæ ut potui percipere ex relatione patientis à principio non uera ophthalmia dicebatur. Sine enim dolore molestante, & sine causa multum imprimente erat, quæ potius conturbatio, seu oculi uacillatio ad modum Auicennæ dicebatur. Tamen quia forte ex modica cura habita, ex defectu patientis, causa leuis fuit fortiter impressa, propter quod non uera facta est uera ophthalmia, propter dissolutionem, & fluxum humiditatum factum consuetum & familiarem tunicæ adnatæ oculi. Et hoc, quia puto quod à principio fuerit causa materialis in corpore suo parata, ut repletio corporis, & maxime capitis, propter quandam malam dispositionem præternaturalem, multum ledentem membra animalia, ut caput, quam passus fuit per multos annos iam præteritos, sicut à patiente habui, & ex hoc non est difficile uenari causas huius ophthalmicæ dispositionis antecedentes scilicet, & coniunctas, cum de causis primitiuis non sit cura. Aegritudo enim pendet in isto ab intrinseco, sunt enim antecedentes causæ istius ægitudinis in isto duæ. Prima totius corporis repletio ex malis humoribus multiplicatis ex uitio, uel prauitate complexionis epatis declinantis ad calidum, & siccum præternaturaliter generantis sanguinem ualde biliosum, qui uia nutrimenti transmissi ad membra superiora sui malignitate non regulatus à natura eorum tanquam superfluum in membro derelictum, & in complexione uitiatum læsionem in membro efficit ad quod peruenit. Secunda causa est repletio cerebri, & partium eius scilicet uelaminum, & uenarum, & arteriarum, quæ cum sanguine isto bilioso repletæ sunt, uenientes ad oculum uia nutrimenti, non fugiet oculus malignitatem sanguinis præternaturaliter dispositi ad calidum, & siccum, propter quod non fugiet generationem ophthalmiæ, uerba hæc sunt Auicennæ tertio canonis cap. de ophthalmia, & sic licet ophthalmia, à quocunque humore uitiato possit contingere in isto, tamen

Sola causa antecedens est repletio corporis ex sanguine bilioso. Causa uero coniuncta est ipsa mala materia sanguinea biliosa iam existens in oculo cum multitudine, uel mala qualitate lædente primo, & per se, propter quam causam primo & per se lædentem, & tumor, & dolor, & morsus, & corrosio quandoque, & acuitas inducitur, & hæc de causis ophthalmiæ huius ægrotantis dicta sint. Patitur & secundum genus ægritudinis, quod suffusionem diximus ab humiditate externa existente inter corneam, & humorem albugineum in loco ubi uuea deficit, quam cataractam puto non fuisse confirmatam, cuius suffusionis puto causam antecedentem fuisse uaporem, & fumum eleuatum ab humoribus malis imperfectæ regulatis, & digestis à natura, ex quibus puto istum ægrum tum ex ægritudine, quam iã passus est, tum ex indebito regimine in cibo, & potu, & aliis sex rebus non naturalibus repletum fuisse. Causa uero coniuncta illius suffusionis, quam sicut dixi puto non fuisse confirmatam est uapor non ex toto incrassatus, neque in aquam conuersus, propter quod non fugit, neque fugiet facilem illius resolutionem per medicamina conuenienter applicata. Et sic credo non pati suffusionem, quæ sit ab aquea humiditate iam collecta in loco suffusionis, uel quod humiditas illa aquea sit illa, in quam iam uapor conuersus est quia quãdam solam turbulentiam percipio in oculo, quam puto esse à solo uapore iam dicto, apto de propinquo conuerti in aquam, nisi succurratur aptis huic morbo medicaminibus. Tertium uero genus ægritudinis huius prudentis uiri, est debilitas uirtutis uisuiuæ, cuius signa habentur ex relatione patientis, & huius antecedentem causam puto esse malam complexionem totius corporis calidam, & humidam facientem ad repletionem cerebro per communionem & consensum à membris de mandantibus ad ipsum cerebrum ab inferioribus ad superiora, cuius signum est expulsio superfluitatum ad oculos, & ad na-

res, & per crassitiem faciei inconfuetam circa oculos multotiens apparentem. Et sic dicemus causam coniunctam debilitatis uisus in isto esse presentiam humiditatis in oculo conturbantis oculum, & spiritus existentes in eo, propter quod & humiditas ipsa ueniens ad oculum, non est mirandum si in neruis opticis acquirat aliquam crassitiem frigiditate eorum, ponentem in eis aliquid obstructionis, Et propter hoc credo pendere, ab obstructione neruorum opticorum debilitate uisus in isto. Et hæc sint de generibus ægritudinum dicta, ad quarum curationes me astringendo, omnes intentiones curatiuas in una quaque ægritudine, ordinabo remedia, quæ unicuique efficacia adinueniam, ut si deo placuerit ipse ad pristinam sui sanitatem redigatur.

Curatio igitur ophthalmiæ complebitur quinque scopis. Primus est in ratione uictus instituenda, & quia Dieta debita consistit in conuenienti, & debita applicatione sex rerum non naturalium, ideo ab ea incipiendo. Primo de aere dicemus. Sit igitur illius aer obscurus tutus à uento, & à multitudine aeris, quoniam ab oppositis, his, spiritus, oculi segregatione facta, & conturbatione a qua consequitur uisus debilitas, addetur causæ facienti ophthalmiam, ad locum enim quantumcunque ab extrinseco debilitatum, humores apti sunt decurrere, sit aer mundus, & quietus, alioquin esset multæ humiditatis generatiuus in capite, quæ per uiam defluxionis ad oculum descendendo auget ægritudinem. Sitque frigidus aer, ut opponatur causæ facienti ægritudinem, & effectui, Quod si æstas fuerit, artificialiter ipse deducatur ad frigidum, non multum autem recedat à temperamento per frigidum, ut ne aere intenso plusquam oporteat infrigiditate compressione facta ruant humores ad oculum, ut ex tertio artis medicæ habetur.

De cibo & potu, minuatur eius cibus, & dieta planè tenui utatur, cum etenim sanguis peccet, & ex multitudine nutrimenti multus aggeneretur sanguis, tunc adderetur

causæ

causæ facienti morbum, tum etiam quoniam à multitudine cibi maior uaporum quantitas eleuatur ad cerebrum, quæ frigiditate cerebri conuersa in aqueum ad oculos ueniens addit causæ ægritudinis. Consideret quoque medicus qui ei assistit, malignitatem ægritudinis, acuitatemque, & eius prauitatem. Quod si his plena fuerit constituat ægrotanti dietam magis, tenuem, immo tenuissimam, sicut in hoc casu consueui facere cibando per tres dies solo pane, & aqua hordei, & hoc cogit me, cum dixit Hippocrates prima aphorismorum, aphorismorum sexto. Ad ultimas ægritudines, ultimæ curationes ad perfectionem sunt potentes. Quod si ægritudo non tam praua, non tam acuta fuerit, moderetur medicus dietam, non ita tenuem, cuius dietæ quantitatem non dicam, quia derelinquo istud industriae medici qui laboranti assistit, propter illud dictum Galeni in libro de tuenda sanitate, certa rei quantitas neque calamo scribi potest, neque lingua proferri. Caueat igitur à cibis malæ, & tardæ digestionis, & in multa quantitate bonorum, & malorum, utaturque cibis generantibus bonum, & laudabilem humorem, in modicaque quantitate, ut membra sui natura auara efficiantur in retinendo humores propter quod non fluent ad oculum. Caueat quoque ab omnibus uaporosis, ut allio, cæpis, sinapi, eruca, porris, faba, nucibus, & huiusmodi, eorum enim mali uapores, ultra hoc, quod nocent oculis, replendo caput, superflua multa ad oculum possunt transmittere addentia causæ ægritudinis. Caueat quoque ab omnibus cibis acetosis, & acribus ut est acetum, & fructus acetosi caueat etiam ab omnibus acribus, & ab omnibus herbis, & fructibus uiridibus manifestè enim nocent, nisi uia medicinæ sumerentur. Caueat quoque ab omnibus carnibus duræ digestionis, & crassi nutrimenti, ut est caro suilla, bubula, uaccina, anserina, anatina, & huiusmodi. Caueat quoque à carnibus multæ caliditatis, nisi eas alterando cum frigidis, & maxime cum his,

quæ respectum habent, ad caput. Caucat quoque ab omnibus ferculis ex leguminibus, ex pasta, & ex aliis, quæ difficultatem digestionis includunt.

De somno autem, & uigilia, somnus enim ei confert, non tamen plusquam oporteat, quoniam usu immoderato caput replet superfluitatibus, quibus transmissis ad oculum, augent ægritudinem. confert autem moderato usu, quia natura digerit, & maturat materiam ægritudinis, maxime præcedente euacuatione. Tunc enim temporis somnus non est suspectus, unde inquit Auicenna tertio canone, & oportet, ut ad ipsum attrahatur somnus, est enim medicamen eis bonum, uigiliae autem nimis nocent, maxime superflue. De motu, & quiete, durante autem ægritudine nullus sit ei motus. Quod si ex motu aliquo consuetus sit uti exercitio, sit paruus, ut in corpore nulla fiat lassitudo. Quies autem cum abstinentia ei confert. Quiescat ergo in loco tuto ab aere illi nociuo, & locus potius ad obscuritatem tendat, quam ad lucem, & stet in lecto capite quidem eleuato, ut materia existens non fluat ad intra oculum, uel in eo existens non remaneat, sed fluat exterius. De repletionem autem, & inanitionem dicendum est quod, omnis repletio in eo est uitanda, replet enim caput superfluitatibus & malis uaporibus, lædentibus oculum, & in quantum natura potest sustinere, abstinentia est ei conueniens, & inanitio. Quod si natura non fiat, arte frequentatur lanitio uentris cum clisteri, uel glande quam uulgo suppositorium dicunt. De accidentibus animæ, gaudeat utique, & letetur: ipsis etenim, ut tertio artis medicæ habetur sit spirituum corroboratio, caloris naturalis uigortio, & uirtutum uictoria ad resoluendum quæ superfluunt in corpore, propter quod diminuunt causam facientem ægritudinem iram, tristitiamque euitet, cum hæc nostra deprauent ac perdant corpora, spiritus etenim denigrant, calorem, & uirtutem nostri corporis debilitant, propter quod

ad alia ægritudinum genera inclinant. De coitu, Coitus etiã ex toto euitetur propter nocumenta, quæ maximè cerebro contingunt, resoluit enim quantitatem spirituum, & maxime uisibiliũ, propter quod & oculus priuatus spiritibus debilitatur, ad quem magis decurrent superfluitates, quæ à natura oculi non regulate augent ægritudinem, consulo igitur, ut in hac ægritudine patiens gubernetur tẽpore quo ægrotat in sex rebus non naturalibus, ac si esset acutè febricitans præter, hoc quod non utatur acetosis, nõ acribus, non herbis crudis, non uino, nõ carnibus nisi urgẽte necessitate in debilitate uirtutis, & hæc sint pro prima intentione curatiua. Secũda uerò intentio curatiua est diuertere materiam fluentem ad oculum, ne generetur apostema, uel genitum augmentetur, & clarior diuersio est per phlebotomiam, ut uoluit Galen. xiii. methodi. & Rasis. ix. almanforis, & Auic. iii. canonis. Quæ autem uena sit incidenda dixit Auicen. Conueniens est enim omnibus dispositiõnibus ophthalmiæ phlebotomia ex cephalica. Cõsulo igitur, quod si in ægro sit nimia sanguinis plenitudo, secetur cephalica partis oppositæ clisteri lenitiuo præcedẽte dixit enim Gal. xiii. methodi si ægritudo sit in oculis ab humore, & non à flatu uentris solutio scilicet per enema, & phlebotomia sunt præmittenda. Post modum uerò sequẽti die uel transactis ad minus duobus, uel tribus diebus post primã phlebotomiã secetur cephalica eiusdem lateris, quo facto si adhuc appareat repletio & in facie, & oculis rubedo, consulerem, ut in diuersione materiæ ab oculis ponerẽtur sanguisugæ ad uenas post aures, in quibus multotiens bene me reperi. Quòd si hæc non contulerint, consulerem, ut apponerentur cucurbitulæ in occipite. iuxta illud Galeni decimo tertio methodi, dicentis, aut in occipite cucurbitulam apponimus, cum materiam ad oculos fluentem extrahere uolumus, quæ maxima curatio est, de quantitate autem sanguinis extrahendi per phlebotomiam

C O N S I L I V M

miam derelinquatur iudicio medici assistentis præmedi-
 tantis magnitudinem uel paruitatem ægritudinis. Dixit
 enim Rasis nono ad Almanforem in phlebotomia de Ce-
 phalica quanto maior fuerit passio tanto magis extrahen-
 dum est de sanguine. Consulo etiam quod intentione di-
 uersionis quotidie utatur patiens frictionibus ante cibi as-
 sumptionem ab humeris incipiendo, & sic à sursum in
 deorsum continue fricando totum corpus procedatur, &
 iterum ieiuno stomacho alternatis diebus, uel quotidie u-
 tatur ablutione pedum, & manuum ex aqua calida, per
 hanc enim merito caliditatis attrahentis, superfluitates
 ad partes inferiores trahuntur. Diuertat quoque cum cli-
 steribus, & glandibus, in quibus ponantur ea, quæ à capi-
 te attrahunt, sicut mel rosatum, & iera pigra, & custodiat
 omni die uentrem tenere uacuum, ne fumositates eleuatæ
 à putridis materiis replentes caput addant ægritudini.
 Et iterum intentione diuersionis, consulo, ut ante cibi as-
 sumptionem mane per duas horas assumat mirabulanum
 unum conditum ad modum ordinationis Rasis, & sic ista
 cura, diuersiua, regatur ægrotans usque ad terminum quat-
 tuor, uel sex dierum obseruando semper canonem maxi-
 me obseruandum in hac ægritudine, quem posuit Gale-
 nus decimo tertio methodi, & est, quod tunc temporis in
 oculo nullum collirium, nec medicina aliqua intus immit-
 tatur. Quòd si dolor fuerit fortissimus, & euacuatio facta
 fuerit phlebotomia, uel pharmaco tunc temporis consuli-
 mus, ut cathaplasma imponatur oculo, & fiat ei balneum,
 medicina intus immittatur, colliriumque eidem appona-
 tur cum modis tamen conuenientis applicationis, & ex
 parte rei applicandæ, & ex parte temporis applicationis,
 & hoc est quod uoluit haly. in libro regalis dispositionis,
 capite de ophthalmia. Dicens, quia oculus est nimii sen-
 sus, & facilis læsionis, ideo medicamina multa, & diuersa,
 uel fortia in qualitate ab eis euitanda sunt, saltem in prin-
 cipio

cipio. Consulo etiam, Quòd si huic ægrotanti complicaretur ophthalmiæ fortis dolor capitis, quòd nulla cura sit ipsius ophthalmiæ, nisi prius cephalæa amota. Et hunc cano- nem uoluit Galenus decimo tertio methodi, Dicens, si cū passione oculorum fuerit cephalæa tunca cura cephalæa incipiendum est, & non cures oculum, usque quo cephalæa remota fuerit. Et hæc sint pro secunda opinione habenda in hac ægritudine.

Tertia intentio est. Repercussio materiæ uenientis ad oculum, quæ ad actum reduci potest facta conuenienti diuersione per phlebotomiam iam factam, quæ ultra hoc, quòd diuertit plus, aliquantisper etiam euacuat, & maior etiam fuit facta euacuatio, cum facta fuerit phlebotomia cephalicæ eiusdem lateris. Repercutimus autem cum his, quæ habent confortare uirtutem oculi, claudere, & constipare meatus eius, ut oculus non recipiat materias fluentes ad ipsum oculum, dum tamẽ menti teneas, quod medicaminibus repercutientibus insit uirtus represiuæ caliditatis humoris, & doloris mitigatiua, ordinetur igitur repercussuum tale, apponendum fronti, & temporibus Recip. Boli armenii, sanguinis draconis. ana. Vnc. med. Albuminis oui conuassati, aquæ rosatæ. ana. quantum sufficit pro linimento apponendo, supra stupam applicatam fronti, & temporibus.

Aliud oculo immittendum. Recip. Acatia ablutæ. Ceru- sæ ablutæ, gumi arabici, sumach. ana. drach. i. dissoluantur omnia cū aqua rosata, & albumine oui, & oculo instilletur.

Aliud in quo multotiens bene me reperi, & est, Recip. mucilaginis sem. psilii, mucilaginis sem. citoniorum factarum in aqua rosata. ana. Vnc. med. lactis mulieris. Vnc. i. aquæ albuminis oui diu agitati, drach. ii. misce, & aliqua guttæ oculo instillentur, madefiat quoque pannus lineus in dicto liquore, & oculis apponatur.

Quarta intentio completur ex digestionem materiæ peccantis,

CONSILIUM

cantis, quoniam etenim materia calida est, indiget altera-
 tibus ad frigidum, & cum his, quæ à proprietate caput, &
 oculos respiciunt, tam ex parte syruporum quàm ex parte
 aquarum. Syrupi etenim cõuenientes in hac materia sunt,
 sicut syrupus rosatus, syrupus de succo acetosæ, syrupus
 de acetositate citrii, & maxime etiam cum his, quibus sti-
 pticitas coniungitur, addendo etiam his aliquid auferens
 malam complexionem calidam epatis à proprietate ip-
 sum epar respiciens, & sic syrupus erit talis, isti multum
 conueniens. Recip. syrupi rosati, syrupi de succo endiuia,
 uel de succo acetosæ, mellis rosati col. ana. Vnc. med. Aqua-
 rum betonica, plantaginis, acetosæ. ana. Vnc. i. misce, &
 quandoque etiam secundum quod processerit, prima di-
 gestio in materia, & sit intentio ultra alterationem, malæ
 complexionis oculum confortare possumus addere modi-
 cam quantitatem syrupi de stacade sine speciebus, ut Re-
 cip. syrupi de stacade sine speciebus, syrupi rosati, syrupi
 de succo acetosæ. ana. Vnc. med. aquarum fœniculi ace-
 tosæ, cicorii, ana. Vnc. i. misce. Digesta uerò materia ue-
 nit quinta intentio.

Quinta intentio, quæ completur per euacuationem ma-
 teriæ peccantis, materia utique calida est & cholericæ, ideo
 euacuari debet cum his, quæ à proprietate euacuant bi-
 lem, caputque respicientibus lenitiua, sunt manna grana-
 ta, cassia recens, diachatolicon, ellectuarium de cassia, so-
 lutiua uerò sunt simplicia equidem Reubarbarum, mira-
 bulani citrini, & quia in causa adhuc extat minor quan-
 titas materiæ frigida, quia aliquantisper læditur à frigi-
 do. Ideo quandoque in eis medicinis transeat uirtus tur-
 bith, & agarici. Composita uerò ellectuaria sunt sicut est
 ellectuarium Rosatum mesue, Ellectuarium de succo ro-
 sarum nicolai. Diaprunis solutiui & huiusmodi. Quod si
 illi medicinæ in forma pillularum sint magis delectabi-
 les, & amicè utatur pillulis aggregatiuis, pillulis aureis
 nicolai,

nicolai, & quia, ut dixi, coniungitur aliquid materiae frigidae peccatis, ideo illis addatur aliquid pillularum sine quibus, uel assaiaret, uel agarici trociscati.

De secundo autem genere, & tertio ægritudinis, quæ iudicio meo eodem cursu currunt consulendo sanitati huius prætermittendo ea, quæ parti theoricæ attinent, cum de his satis iam dictum sit, actum practicum exequendo remedia efficaciora, & per me multotiens experta, & in quibus benè me reperi ordinabo.

Confectio mirabiliter conferens uisui, quidam fere centum annorum fuit usus ista compositione, & profuit ei mirabiliter. Recip. feminis fœniculi lib. i. & med. sileris montani lib. i. Eufragiæ lib. med. camedreos. Vnc. viii. radicem chelidonii maioris. Vnc. ix. sem. anisi, petrosilini, apii. ana. Vnc. i. & med. pulegii, hyssopi, florum boraginis, granorum iuniperi, saxifragiæ, ana. Vnc. i. & med. supradicta omnia conficiantur simul, & puluerizentur cum melle despumato cocto, fiat electuarium, quo patiens defectum uisus, utatur mane, & uesperis ante cibum ad quantitatem nucis, & expertum est.

Vnguentum preciosum, quod immissum cum pluma in oculo lachrymas siccat, & maculam delet, uisum acuit. Accipe lapidem calaminarem, & extingue ter ipsum accensum in aqua rosata, & post iterum eum accende, & extingue ipsum in urina pueri masculi non polluti, & sic eum iterum extingue ter in aqua rosata, eodem modo præpara lapidem tutiæ. Postea Recip. de lapide calaminari. Sic præparato. drach. ii. Tutiæ sic præparatæ. drach. i. & med. ligni aloes. drach. med. cooperosæ drachmas duas puluerizentur & cicotrizentur per pannum sericum duplicatum, confice unguentum sic accipiendo lib. ii. sanguinis porcini, unius anni, uel inferioris recedentis, & lib. i. aquæ rosatæ, & coquantur simul, donec aqua rosata sit consumpta, & in frigidetur, & cum illo sanguine misceantur pulueres supradicti, & fiat unguentum.

CONSILIVM IIII.

Aqua mirabilis ad omnem maculam, & uisum confor-
tandum. Recip. fœniculi, rutæ, eufragiæ, uerbenæ, endiuia,
celidoniæ, termentillæ, betonicæ, fileris montani, radicis
accori, rosarum rubearum, corallorum rubeorum, poligo-
ni, galitrici, maioris & minoris, ypiæ. ana. partes æquales,
primo die ponantur trita in uino, secundo in urina pueri
uirginis, postea distilletur per alembicum, & quæ primo
exit, habetur ut argentum, quæ secundo, ut aurum & utere.

Aqua mirabilis ad clarificandum uisum, & ad exsiccan-
dum humiditates uenientes ad oculum, & ita est causa, ne
fiat cataracta. Recip. aquæ celidoniæ, uerbenæ, rosaceæ, fœni-
culi ana. Vnc. med. uini albi potentis. Vnc. iii. ligni aloes, tu-
tiæ præparatæ, ana. drach. i. zucchari candi. Vnc. i. pulueri-
zantur subtiliter, & ponantur in alembico cum lib. med.
mellis albi depurati, & distilletur aqua secundum artem,
& ponatur in oculo.

Item Recip. pillularum lucis, pillularum sine quibus,
pillularum affaiaret. ana. drach. i. misce, & fiat pasta pillu-
larum, dosis est pillula numero. i. cum uadit dormitum.

Laus Deo.

FINIS.



AD CAPITIS DOLOREM

Pro Domino Stephano Belletto
nobili & egregio iurisperito.

Consilium V.



Obilis & excellens Iurisperitus Doctor Lugunensis Dominus Stephanus Belletus, temperaturæ quippe biliosæ cum insigni sanguinis permixtione, non immunis tamen à certo adustionis gradu. Quo fit, ut nedum uitio morbi longi, uerum & aliquali sanguinis, & bilis adustione per accidens in temperaturam uergat melancholicam, sorte sua mala dolore ferè biennio ingenti admodum in dextra capitis parte, ubi tempora per naturam inserta sunt acerrime corripitur, nedum uno tempore tantum, ut dolor, uidelicet, quandoque intermittat, molestatur, uerum & in parte illa, & in locis ei propinquis ut oculo, dentibusque, & maxillis continuo die noctuque, dolore magno molestatur, & ob hoc, nedum à sui ualetudine longe distat, uerum & à suis literariis occupationibus, & aliis sibi consuetis, atque familiaribus curis, ob uehementem mentis suæ commotionem, facile impedimentum patitur. Huius uerò morbi causam, censeo non esse solam malam complexionem sine materia, neque solum spiritum flatuosum, particulam illam extendentem uerum & materiam cum his in ea accumulata, ut ex eadem materia in loco malam temperiem inducente, Solutamque continuitatem cum adueto spiritu flatuoso, ratione debilis caloris particulæ patientis, dolor uehementior progignatur. Quæ materia dolorem excitans, non tantum calidam puto, quoniam morbus diutinus factus iam est, & calida materia citius in iudicationem peruenit, neque solum frigi-

da, cum non pauca appareant inditia causæ calidæ, uti doloris uehementia loci rubedo, caliditas tactu, & remissiora hæc appareant. Quo fit, ut facile feratur iudicium, peccantem materiam fore mixtam, non tamen immunem à flatu, & mala complexionem cum soluta continuitate, quibus in unum coeuntibus intēditur, & dolor maxime augetur. Sanè cum suæ Excellentia dolor in capitis parte iam uetus factus sit, Is per proprietatem in parte illa factus, ab omnibus censebitur, & si à primo ortu, ut puto consensum ab infernis membris nutritiuis, præsertim ab epate, initium cœperit, quoniam intermittendo, tum augendo, tum minuendo patientem infestat, & hoc secundum quod à mala inferiorum natura tum aucta, tum minuta plus, uel minus, & de materia, & de uaporibus offenso loco communicatur, præsertim à iecinore. Et tu etiam considera, quod si apud excellentiam suam, quandoque timor, forte fortuna, cecidisset eam occurissæ mulieri fedæ morbo illo epidimiali, quem gallicum uocant, correptæ iudicium tuū certius efficietur, membra omnia naturalia mala qualitate epidimiali admodum, & cum materia affecta fore, quibus & epas maxime, & per proprietatem affectum est. Demum uerò per consensum & cerebrum, in quo præ mala illa acquisita natura, & cerebro influxu ab infernis membris excitetur dolor in loco illo debiliore existente ob maiorem rectitudinem influentis epatis ad dextram partem capitis offensam.

Hic igitur nobilis & Eccellens Doctor qui male cruciatur, à nobis salutaria petit præsidia, quibus possit à cruciatu illo leuari, & ad suam ualetudinem restitui. Nos autem iustæ illius petitioni obsequentes quæ presentanea pro salute sua nobis remedia occurrunt, ea afferemus, ut illis Deo uolente, ut speramus, ad finem sibi optatum ipse perducamur.

Primo igitur consulo D. suam conuenientem uictus rationem

tionem obseruare, illa enim optimum, & principale est instrumentum, quo natura magis oblectatur in oppugnando morbo. Initium igitur rationis uictus sumat ab aere, a quo nostra corpora maximè alterantur, sine quo, neque sanitas tueri potest, neque morbus propelli. Sit igitur aer, in quo firmam sui inquirat mansionem, non admodum calidus, neque natura, neque arte, quoniam aliquando plures a cerebro superfluitates, accumularet in particula læsa, quo fit, ut maior excitaretur dolor, neque admodum frigidus sit, idem enim faceret comprimendo. Quo fit, ut ab excedentis qualitatis actiue aere præ genito dolore trahentem materiam, facile adgenerari posset inflammatio in parte affecta. Sit igitur eius aer temperatus, uel non multum per calidum a temperamento recedens, calido. n. modico confortatur membrum, & sine uiolenta actione soluitur mala materia prona ad generationem inflammationis, sit autem in passiuis temperatus, ne a multo humido crescant superfluitates, & a nimio sicco exacuatur caliditas. Caueat igitur habitationem locorum, in quibus aer oppressus sit uaporibus lacustribus, & sordidis aquis affectus, magisque ab aere caueat, qui uel igne, uel radiis solis nimium calefactus fuerit, & ob hoc caput suum muniat, non quippe tegmentis multis, ipsum grauitet, neque paucioribus minus quàm oportet, in eo enim omnis excessus cõtumax est.

CIBVS.

Panis d. s. sit de flore farine non unius diei, sed duorum uel trium tantum, non admodum coctus, ut crustacea ambusta sint, & arida, interiora uerò incocta, hic enim panis deterrimus est, non sit salitus, neque multum fermentatus, neque fermento omnino careat.

Carnes sint paucae quantitatis, & optimi nutrimenti igitur caueat a carnibus animalium grandium quadrupedum, & ferocium

C O N S I L I V M

& ferocium, uti est caro bubula, ceruina, antiqui castrati, suilla, & huiusmodi. Peridoneæ autem sunt caro uituli lac fugentis. Hædi annualis castrati, cuniculi iuuenis, capreoli, & leporis non uetustæ. De uolatilibus ei idonea sunt, uti capones, pulli gallinarum, fasiani, perdices, gallinæ quæ nondum oua fecerint. Pulli columborum, turdi, & quæcunque auiculæ in arboribus, & pratis, & nemoribus degunt. Quæ autem uolando aquis gaudent, sunt ei contraria, uti anseres, anates, & huiusmodi, & omnes salitas carnes fugiat, Sal enim molestum est, præsertim in capite.

Oua quæ gallinarum sunt ei conueniunt non dura neque diu asseruata non in sartagine decocta, sed molia sint, & forbilia, & in aqua coquantur, & ipsa condita in sartagine cum re alia ei non conueniunt, ex his enim fercula condita peridonea sunt si recentia.

Ex lacte cibi omnes sunt D. S. mali, dolori etiam capitis contumacia. Caueat igitur à caseo, & butiro, & ab horum condimentis, præsertim à polenta.

Olera enim, quæ larga humiditate abundant, ut lactuca, beta, spinachia, & huiusmodi, sunt ei nocua, quæ autem minore humiditate affecta sunt, minus sunt ei nocua, ut endiua, cichorium, petroselinum & talia.

Legumina omnia a tota sui natura sunt ei rebellia, flatuosa enim sunt, & caput flatu implentia.

Fructus omnes sunt ei contumaces, sua enim humiditate, cuiusuis generis fuerint, parant ad generationem flatus.

Pisces omnes sunt ei nocui præsertim saliti, & cuiusuis condimenti fuerint, minus nocui, D. S. sunt, qui in torrentibus capiuntur, & præsertim, ubi saxorum copia abundat, uel de mari pisces non grandes, ei boni sunt, si agitato mari tunc temporis capiuntur, & elixati, & in craticulis cocti meliores sunt, quàm in sartagine frixi.

POTVS.

Potus uini à toto genere D. S. nocuus est, ubi uerò uinum potare cuperet, sit uinum album, tenue, debili-
 lium uirium, & optimè aqua mixtum, non acre, acerbum,
 acetosum, non nigrum, non crassum, non nouum, non dul-
 ce, non excedens annum, & parcè bibat, & à cena uinum, &
 à prandio contemnat.

Repletionem autem fugiat, & diligat euacuationes, ex
 cibo, & potu quidem superfluas per magis uero ex super-
 fluitatibus, quas conetur euacuare, & à toto, & à capite,
 uti postea dicemus.

Moderate dormiat, & non plusquàm liceat, caueatque
 à Diurno somno.

Vtatur exercitio plus quàm quiete horis peridoneis, &
 conuenientibus.

Gaudeat, & non tristetur, gaudio enim inualescunt ui-
 res supra morbum, tristitia uerò corpus deuastat, & natura-
 lem sanitatem permutat.

Aegroto quippe per uictus rationem iam dictam recto.
 Nunc morbi curationem aggredi debemus. Igitur uere
 pereunte, laudo uti utile, & necessarium, ad S. D. morbum
 abolendum. Primo uesperis cum uult cubare, ingurgitet se-
 quentes pillulas. Recip. pillularum de iera cum agarico.
 drach. med. pillularum aurearum scropul. ii. misce cum sy-
 rupo uiolato fiant pillulæ numero quinque.

Sequenti uerò die diluculo potet sequentem syrupum
 per nouem dies continuos superdormiendo. Recip. syru-
 pi de betonica, syrupi rosati, syrupi de endiuiâ, syrupi de
 lupulis, mellis rosati col. ana. Vnc. med. Aquarum beto-
 nicæ, lupulorum, boraginis. ana. Vnc. i. & med. misce pro
 una uice.

Tertio uerò die tribus epotis syrupis hora die. XXI. or-
 dinet sibi apponi tres, uel quattuor hyrudines ad ani he-
 morrhoides,

CONSILIUM

morrhoides, sanguis uerò mittatur donec uncia quinque exierint. Postea sequatur syrupos usque ad sextum diem, mane ante cibum apponantur ei uenis post aures, hyrudi- nes duæ, & sanguis mittatur ad tres uel quattuor uncias, Deinceps usque ad nonam diem sequatur syrupos. At ubi his diebus beneficio alui uacaret, mane stomacho uacuo imponatur ei sequens clisterium alternis diebus. Recip. be- tonicæ, florum stæcados, maioranæ rosarum rubearum, fo- liorum maluæ, uiolarum furfuris crassi ligati in fragmen- to panni linei. ana. M. I. Agarici ligati eodem modo drach. unam & mediam.

Bulliant omnia in s. q. aquæ donec medietas aquæ con- sumatur. Deinde Reci. dictæ decoctionis colatæ. Vnc. x. olei rutæ Vnc. iii. iere logodionis. Vnc. i. mellis rosati. Vnc. ii. fa- lis communis. drachm. ii. uitelli oui numero. i. misce & fiat clisterium.

Laudo quoque ut omni mane diluat sibi crura a genu infra, & brachia a cubito cum aqua simplici satis calida, aut decoctionis camomillæ, & betonicæ.

Decimo uero die facta materiæ concoctione, laudo, ut sequentes capiat pillulas ad noctis medium. Recip. pillula- rum cochiarum scropul. ii. pillularum aurearum nicolai. scropul. i. misce cum syrupo uiolato fiant pillulæ numero quinque. Quiescat patiens per duos dies sequentes.

Tertia uero die admoueantur ei duo cauteria, unum in uertebis colli prope cranium, circa primam, uel secundam uertebam colli. Alterum uerò in crure dextro in siluestri parte longe a iunctura genu per quattuor digitos, & te- neantur aperta officio optimi chirurgici.

Aduentante uerò tempore ætatis, uel a medio mensis Maii ubi hæc non contulerint, quæ iam diximus, consulo ipsum debere aggredi balnea apponensia, in comitatu Pa- tauino, & ibi capere duciam supra commissuram corona- lem, omnibus seruatis seruandis ad duciam illam capien- dam.

dam. Postea uerò in mense Iulij laudarem, ut. D. S. aggregeretur balnea Sancti Bartholomei in eodem comitatu non longe ab Abano, & ibi locus dolens lutaretur per decem dies continuos.

Vbi uerò ad hæc balnea uoluntatem suam non admitteret, laudo quod bibat per quadraginta dies aquam ligni guaicani sine aliqua additione, præcedente altera purgatione ut infra.

Primo capiat sequentes pilulas uesperis cum uult eubare. Recip. pilularum de fumo terræ drach. med. pilularum aurearum nicolai scrop. ii. misce cum syrupo uiolato fiant pilulæ numero quinque.

Sequenti uerò die capiat per quinque dies in aurora syrupum hunc. Recip. syrupi de betonica, syrupi rosati syrupi de fumo terræ. ana. Vnc. med. Aquarum betonice, fumi terræ, cicorii. ana. Vnc. i. misce.

Sexto uero die, apud dimidiam noctem, capiat sequentem bolum, Recip. Diasenæ lenitiui. Vnc. i. electuarii succi rosarum drach. ii. & med. misce, & fiat bolus. Post uero duos dies incipiat potum aquæ cum conuenienti dieta.

Vbi uerò potu aquæ non esset contentus, laudo, ut bis in septimana per tres horas post cænam, capiat sequentem bolum. Recip. zinziberis uiridis drach. ii. Turbith boni puluerizati scropul. iiii. zucchari uiolati drachm. iii. misce, & fiat bolus.

Vesperis uerò cum ibit dormitum, apponat loco dolenti sequens emplastrum calidum. Recip. lactis uaccini lib. med. Panis triti lib. i. Pomorum tritorum numero. ii. olei rosati. Vnc. i. unguenti alabastris. Vnc. med. croci grana. iii. misce, & fiat emplastrum, & permutetur cum infrigidabitur & cet.

F I N I S.

AD CAPITIS DOLOREM

Pro nobili quadam puella.

Consilium VI.



Nobilis Quædam Puella. Anno ætatis suæ decimo octauo, complexionis quippe biliosa, & omnium principalium membrorum calidorum, quius cerebrum per accidens ob sui diminutam concoctionem, & per consensum à stomacho, & matrice, abundat in humiditatibus, quibus aggrauatur caput. Quo fit, ut continue doleat, cuius doloris fomentum est, ex uaporibus tum eleuatis à uentriculo ex diminuta concoctione, tum à matrice ob leuem, & parcam menstruorum purgationem, ob quam rem nobilis hæc Puella patitur capitis dolorem, satis grauantem, per essentiam, & per consensum. Per essentiam quippe tum propter præsentiam materiæ extendentis, & grauantis membranulas cerebri, tum quoniam puella eo dolore diuturno affecta est tempore, quo fit, ut capiti fuerit acquisita mala complexio, quæ cum præsentia materiæ, essentialiter dolorem inducit. Per consensum uero, quoniam uapores à stomacho, & à matrice perunt cerebrum, & eius membranulas extendentes dolorem faciunt.

Huius doloris capitis curatio perficietur triplici instrumento, uidelicet, uictus ratione: Medicinarum potione, & manu operatione.

In ratione uictus debet cauere ab omnibus his, quæ caput replent, & grauant, atque percutiunt. Primo ut est panis de milio, & hordeo. Sit igitur eius Panis de grano tritici puri, & bene mundi, & sit de flore farinae eius, quoniam digestibilior est talis panis, & naturæ magis amicus, minus

grauans:

grauans uentriculum, & minus capiti noxius.

Sit eius uinum pauciferum, aqua mixtum, album, non nigrum, non dulce, non crassum, non nouum, & caueat in quantum poterit a potu uini post cenam, & cum intrabit lectum, & non bibat uaria genera uinorum, neque lætetur in eis, noxia enim sunt, & capiti & stomacho.

Carnes eius sint boni nutrimenti, & facilis digestionis, quæ non grauent stomachum, neque sui crassitie, & difficili concoctione, uapores emittendo ad caput ipsum lædant. Igitur conueniunt sibi carnes caponis, pullorum, gallinæ, perdicum, fasianorum, turturum, pullorum columborum, & uniuersaliter omnium auicularum degentium in arboribus, & nemoribus, & pratis, conueniunt quoque carnes uituli, hædi, non agni, neque porci, neque bouis antiqui, neque uaccæ, neque ouis, sed castrati unius anni caro est sibi idonea. & cuniculi iuuenis, & in earum esu parce uiuat. Et in communi eius esu carnes magis sint elixatæ, quàm frixæ, uel tostæ.

Oua forbilia in aqua cocta, & non dura, sed tremula ei sunt optima, & non in sartagine frixa, quia nocent & capiti, & stomacho.

Omnia condimenta de pasta azima, sunt ei nocua, tum quia rebellia sunt digestioni, & malorum succorum pro-gignentia, tum quia crassos, & malos fumos expirant, caput ipsum grauantes, atque dolorem qui grauat inducentes.

Caseum, & lac fugiat a tota sui natura, quia lac dare caput dolentibus malum, & hoc dico, siue caseus recens sit, siue antiquatus. Et salitus, sal enim molestum est, & maxime in capite.

Pisces a tota sui natura ei sunt nocui, minus mali sunt, qui in flumine torrentis aquæ capiuntur, & in locis saxosis, qui pisces petrosi dicuntur, & etiam pisces de libero mari, non quippe grandes & feri ei conuenire possunt, dū

nullo modo sibi conueniunt pisces, qui uescuntur, in paludibus, & stagnis, & aliis aquis stantibus, inter quos deteriores sunt tenchæ, anguillæ & alii pisces squamis carêtes, & omni modo abstineat se à piscibus salitis.

Legumina omnia sunt ei nocua, excepto iure cicerum rubeorum, sunt enim flatuosa, & caput replent, & eadem uia procedunt castanæ, & nuges, & auellanæ.

Omnia olera, quæ multarum superfluitatum sunt progignentia, sunt sibi incommoda, ut beta, lactuca, spinachia, caules, & non nocet ei endiuiâ, saluia, betonica, artemisia, petroselinum, non multum sollicitet acetum cum oleribus, inimicatur enim cerebro, nisi prius cū passulis decoquendo alteretur.

Caueat à multo somno, & multa uigilia, plus tamen dormiat, quàm uigilet, & caueat à somno mercuriano, & à somno subito post cibum, & in somno non grauet sibi caput multis cooperimentis, neque dormiat non cooperto capite, mediocriter igitur in somno caput suum cooperimentis muniat.

Non utatur superfluo exercitio, neque multa quiete, plus tamen exercitetur, quàm quiescat.

Aerem eligat sibi, si poterit temperatum in omnibus qualitatibus, quod si non natura, alteretur cum appropriatis, ut cum aqua rosata, & gariophyllis; Caueat ab aere turbido, & puluerulento, & fumoso, & non exponat se uento, neque calido, neque frigido, neque moram trahat sub radiis solis, neque prope ignem caput suum multo afficiatur calore.

Caueat quoque ab odoribus aromaticis, quoniam grauant, & replent caput, & à fœtidis & putridis odoribus, quoniam cerebri uires dilaniant.

Lætetur, gaudeat, & non tristetur. Tristitia enim omnia capitis incommoda inducit.

CYRATIO

CVRATIO PER MEDICINAS.

IN Primis iubeo, ut Puella per horam ante prandium capiat infra scriptum bolum, & hoc aduentante uere. Recip. floris cassiæ nouiter tractæ. Vnc. i. & med. Anisorū puluer. drach. i. & med. misce, & fiat bolus cum saccharo.

Sequenti die diluculo accipiat sequentem syrupum per septem dies. Recip. syrupi rosati, syrupi de betonica, syrupi de endiuia, mellis rosati col. ana. Vnc. mediam. Aquarum Betonicæ, matricariæ, buglossi. ana. Vnc. unam. misce.

Et attende quod tertio die assumptionis syruporum uolo post meridiem saphenam, quam latini uenam internam malleoli uocant, dextri pedis ipsius puellæ aperiri, ex qua sanguinis extractio sit usque ad quattuor uncias.

Septimo epoto syrupo, iubeo puellam purgari, sequenti medicina, quæ post medium noctis assumatur. Recip. diafenæ lenitiui, diacatholiconis. ana. Vnc. med. ellectuarii rosati mesue. drach. ii. agarici electi. drach. i. & med. zinziberis, salis gemmæ ana. grana. iii. ellectuarii de dactilis drach. i. infundatur agaricus secundum artem, & cum decoctione cōmuni capitali fiat potus.

Purgata Puella, quiescat per quattuor dies. Demum hora tertiarum phlebotometur in uena cephalica brachii lateris eiusdem, in quo dolor caput magis infestat, & sanguinis extractio sit, a tribus usque ad quattuor uncias.

Demum facta phlebotomia hac, quiescat puella per sex dies, & uesperis cum ibit dormitum, capiat infra scriptas pilulas. Recip. pilularum aurearum nicolai, pilularum cocchiarum almansoris, pilularum de agarico mesue. ana. scrop. i. misce cum syrupo uiolato fiant pilulæ numero quinque.

Purgata puella iterum quiescat per sex dies, & septimo die per tres horas ante cibum, ei apponantur duæ hyrudi-
nes

nes ad uenas post aures, & extractio sanguinis sit trium unciarum.

Demum incipiat patiens corroborare caput suum primo interne sic. Recip. conseruæ stæcados, conseruæ saluiæ, sacchari rosati, ana. Vnc. i. misce. Quolibet uesperis in ingressu lecti apponat palato huius ellectuarii quantitatem auelanæ, & superdormiat.

Mane uero, cum exit lectum capiat in ore. drach. ii. infra scriptarum radicum per horam continue mastiando, & spuendo. Recip. radicum accori condit. drach. i.

Quolibet etiam die inungat sibi in ingressu lecti uesperis tempora capitis, & frontem, cum unguento Alabastricalido.

Et sic pergat per decem dies, ubi uero his præsiidiis dolor non soluatur, iubeo uenam frontis rectam ipsius Puellæ secandam esse, & extrahantur uncia tres sanguinis, hæc enim phlebotomia puellam saluabit, cum illa omnes malas capitis ægri tudines extirpet.

Volo etiam Puellam ex sui consuetudine in temporibus non multum calidis semel in septimana capere pillulam unam, scropul. i. uesperis in ingressu lecti de sequente pasta pillularum. Recip. Turbith boni, & gumosi drachmas duas, agarici electi drachmam unam & mediam, zinziberis, salis gemmæ. ana. grana. vi. masticis grana. x. mirabulanorum citrinorum. drach. ii. & med. Reubarbari electi. drach. i. spicæ grana. vi. specierum ieræ simp. Galeni ad pondus omnium. Diagridii scropu. i. misce tritis terendis, & fiat pasta pillularum.

Volo etiam quod ex sui consuetudine bis in mense abluat sibi caput cum sequenti lixiuio. Recip. rosarum rubearum, granorum mirti, floris chamæmeli, betonica, stæcados, foliorum lauri. ana. M. i. Agarici ligati in panni linei fragmento. drach. iii. misce, & coquantur omnia in lixiuio dulci, usque ad consumptionem tertiæ partis, deinde colo transfundantur,

transfundantur, & usui seruentur.

Volo etiam quod bis in septimana abluat sibi pedes & crura cum sequenti aqua. Recip. calamintes, betonica, partheni quam matricariam dicunt, stæcados, ana. Manipul. i. decoquantur in suffic. quant. aquæ, & abluantur crura post canam.

De operatione manuali, nihil dicam, cum non conueniat puellis, ubi esset expediens, & alia non contulerint, Iubeo puellam cauterium accipere in collo in prima, uel secunda uertebra colli, ubi collum iungitur cranio. Vel quod post aures adhibeantur quæ uescicas excitent de more. Et hoc relinquo experto chirurgico. & cet.

Ad laudem Dei. Amen.

FINIS.



AD EPILEPTICAM AFFECTIONEM,

Pro nobili Domino Andrea Germano

Barone in Palam.

Consilium VII.



Nobilis Dominus natione Germanus, Dominus Andreas Baronus in Palam temperaturæ sanguineæ cum insigni bilis mixtione per naturam, ab his uerò, quæ in eo, non secundum naturam operantur, pituitosam sanguinis permixtionem participat, corripitur comitiali morbo, quem epilepsiã uocant, cuius indicium est, ut ex ipsius & adstantium relatu accepimus quod crebris accessionibus afficitur, cum quibus & sensum, ordinatumque motum, & erectionem, & intellectum, uisumque, & auditum, & memoriam perdit, quo fit, ut motione conuulsua, & casu, spumaque, ante os corripatur. Quam ob rem merito hic morbus à prima eius notatione cerebri morbus nominatur, etiam si fuerit per consensum, ut ait Galenus tertio de locis affectis. In hoc enim morbo cerebrum contrahitur ad expellendum rem nocentem ei, & transitum spirituum impediens, ut ibi dixit Galenus Materia enim illa obstruens meatus cerebri originis neruorum uirtutem sensitiuam, & motiuam cum suis spiritibus impedit, ne per solitos sui meatus ualeat permeare, & ob hanc causam, & modum animal fit epilepticum atque conuulsam, ut Galenus ait tertio de locis affectis. Et Auicenna tertio canone. cap. proprio. Huius igitur nobilis iuuenis morbi causa est in capite accumulatio multæ humiditatis uiscidæ, pituitosæ, & frigidæ obstruentis meatus cerebri, ob quod irritatur uirtus animalis ab illa mala materia, & coartata trahit neruos ad sui originem. Igitur obstructione in

eo fit epilepsia, & tractu neruorum fit conuulsio. Hæc igitur est materialis epilepsia in isto iuvene, est enim illius capitis temperatura plus humida quàm calida, ut accumulata humiditatem quandoq; in cerebro non ualeat illius caliditas æquare, neque resolueret, & relicta ab opere naturæ caloris cerebri sui multitudine obstruit, & epilepsiam producit, ut dixit Galenus & tanto crebrius in morbi accessione cadit, quanto ipse in ratione uictus magis peccat, & hæc causa epilepsiæ in eo fouetur ab his, quæ cerebro malos habitus conducunt, & in eo confirmant, ut ab epilepsia per consensum facile in eo epilepsia per proprietatem progignatur, & tunc difficilior erit cura, quoniam ingentior erit causa morbi, & difficilius remouebitur. Erit igitur causa pituita uiscida in meatibus cerebri accumulata, & hoc secundum plurimum, ut dixit Galenus tertio, de locis affectis, minus uerò à sicco, quoniam raro fit, ut pelliculæ cerebri adeo exsiccantur, ut aridæ fiant, ut à sicco epilepsia, uel conuulsio generetur, est enim cerebrum natura humidum, ut ait Galenus secundo, artis medicæ, hæc autem causa fouetur in patiente isto, maximè à uentriculo, quoniam inuenitur, quod ex nimia uentriculi repletione, ut ex nimia crapula, & superfluente potu facile iuuenis hic in hanc cadit affectionem, ob quam etiam sicut à stomacho ueluti à consentiente causa potest in cerebro initium capere epilepsia, ita & per ipsum superflue impletum ab eo quippe uaporibus eleuatis ad cerebrum in eo poterit excitari causa epilepsiæ, & repente accessionem ad mouere. Et ob hoc puto iuuenem istum pati epilepsiam, partim per proprietatem, & causam existentem in cerebro, & partim per consensum à uentriculo, & credo, quòd eius epilepsia etiam utroque modo est per proprietatem in cerebro, quoniam à materia pituitosa, quæ est in cerebro eleuatur fumus, uel uapor turbidus, & spissus malæ qualitatis, qui impedit transitum spirituum motiuorum,

R & sensibilibium

& sensibilibus & epilepsiam inducit, & si ab humore melancholico aliquando, uel ab eius fumo in cerebro contingit epilepsia. In isto tamen iuvene interiorem causam epilepsiae esse credo magis a pituita (ut dixi) & ab eius uapore. Certe puto non multas fore extrinsecas causas fouentes intrinsecas causas, epilepsiae in isto iuvene, ueluti dixi de crapula, & nimio potu, idem dico de nimio coitu, uel de aliquo gerente uim nimii coitus: audio ipsum fere omni nocte nocturna corripitur pollutione: Scimus enim ex Galeno tertio de tuenda sanitate, coitus uires omnium membrorum corporis animalis imbecilles reddere, adeo, ut auferens nutrimentum ab omnibus membris relinquat ipsa priuata, & spiritu, & calore, ob quam rem cerebrum nimis coitu superfluo debilitatum per eius naturalem facultatem non potens humiditas in eo superfluitates corrigere, atque resolvere, facile obstructione meatuum mouetur epilepsia, tum etiam, quia nimis coitus nedum ab omnibus membris, Verum & a cerebro alimentum aufert, quo fit, ut ipsi cerebro nedum morbi accidant, uerum & mors ipsa quandoque, certe cum pollutio sit expulsio spermatis in somno, quae naturam coitus participat, totius corporis uires, & maxime principalium membrorum, praesertim cerebri, Quod natura pluri spiritu participat, quia est sedes uirtutis animalis, ut ait Galenus quinto de locis affectis ut & coitus, ita principalium facultates, & maxime cerebri debilitabit, ut in eo multiplicata pollutione, epilepsia moueatur, & ob hoc non ab re dicemus in iuvene isto accessionem epilepsiae celerem, atque frequentem fore, ex frequenti, & crebra pollutione ei contingente. Aliud autem diu a regentibus, & gubernantibus iuuenem, quo ueluti a procathartica causa admota fuit iuueni epilepsia, & est. Videns enim iuuenis hic iam annis quattuor peractis eius fratrem corripitur epileptica accessione, repente, uel paulo post & idem detentus fuit epilepsia. Nos autem contribuimus

mus hoc tristitiæ, & timori tristitiæ quippe uidens fratris naufragium, timori, quidem, ne in consimilem caderet affectum, Recordari enim debemus uerborum Galeni secundo de causis symptomatum ultra medium libri. ubi ait, at in timore neque excitante, neque impellente ratione patibilem animæ partem magis ac magis calor extinguitur, ut non nulli quidem rigore infestentur, ut in timore autē confestim, ita in mœstitia paulatim fit motus magnitudi- ne duntaxat, ac uehementia, non toto genere differenti- bus pathematis. At qui nonnulli ob timorem repentina morte perierunt, ubi debilis suapte natura animula sub ua- lido pathemate oppressa, confestim & extincta, & suffoca- ta est. Ob quam Galeni sententiam cum contingat quem- piam mœstitia & timore morte mori, ita & cōtingit quē- piam mœstitia & timore diuersis morborum generibus af- fici, præsertim his, ad quos mouet mens, & animus, dicen- te principe. Cōmotionē animi de perihodo facere perhio- dum, imaginatio enim facit casum.

Nobilis igitur hic Dominus multo affectus timore, ne repente pereat a nobis salutaria remedia inquirit, ut his, omnipotentis gratia asperam hanc fortunam euitare ua- leat. Nos igitur honestæ suæ petitioni morem gerentes, ua- lidioribus, quibus poterimus præsiidiis ab hac periculosa sorte eum præseruabimus, curabimusque.

Et cognoscens ego modum curationis morbi naturalis triplicem habere institutionem, unam ex ratione uictus, al- teram ex exhibitis medicamentis. Tertiam uerò ex opera- tione manuum, autoribus Galeno in de partibus artis me- dicatiuæ, & in libro experimentorum capite ultimo & un- decimo methodi, capite quinto & alibi pluries, & Auicen. quarta primi, capite primo igitur omnibus his instrumen- tis utemur, ut iuuenis suam optatam habeat salutem, & quoniam inter hæc nobilius instrumentum est uictus ra- tio, ideo ab eo initium faciemus.

Quoniam maxime contingit nostra corpora ab ambiente nos aere alterari, & permutari, ut ait Galenus tertio, artis medicinalis, & tertio methodi curatiuæ. cap. octauo, & nono methodi non longe à fine ubi ait. Ambiens enim is est, sine quo nec morbus tolli, nec sanitas teneri potest, & Galenus primo de Tuenda sanitate, non modicam expedit uim tuendæ sanitatis in boni aeris electione, ideo ab aere ualitudinem suam inquirendo initium faciemus.

Vitet igitur iuuenis iste Nobilis aerem crassum, & nebulosum, & clusum, nullum recipiens perflatum. Dixit enim Galenus primo de tuenda sanitate, nec qui ob stagnum, uel flumen uicinum nebulosus est aer, nec editis undiq; montibus in cauo loco clusus, nullum recipit perflatum, suffocans enim, putrisq; est. Proinde iuuenis iste locum domus accurate sibi conducatur, in quo non sit inclusus aer perflatus defectum sustinens, huiusmodi enim aer omni plane ætati noxius est, caueat quoque ab aere affecto fumo, uel puluere, cum enim corpus intrat facultatis animalis transitum tollit, uiarum spiritus clausione, Quo fit, ut facile epilepsiæ admoueatur. Sit igitur eius Aer calidus, & siccus, plus quidem siccus, & non admodum calidus, non tamen frigidus, cum morbi causa frigida sit, & quoniam in capite pituitam compingit, & non admodum calidus sit aer, quia mouet, & eliquat materias in capite, quæ ad cerebri meatus permeantes facile uiarum obstructione epilepsiam mouent. Aerem quoque humidum caueat, quoniam in eo ægritudo est humida, & caueat præsertim ab aere humido, qui & stagni, & paludis habitu infectus est, & qui ex cloacis malam expirat auram, & qui animalium, & oleorum, & leguminum putredine uitium contraxit, aut fimo coninquinatur, caput enim grauitat, & animale spiritum

ritum offendit, ut clusus in meatibus cerebri suffocetur, & sui functiones perdat, & epilepsiam faciat. Sit igitur eius aer calidus, quoniam ut dixit Galenus quinto aphorismorum grauitates capitis sanat concoquens, atque dissoluens quaecunque caput offendunt.

Vbi uerò iuuenis hic aerem natura calidum, & siccum non nisi laboriose inueniret, eo in loco, quo ex sui consuetudine moram trahit, & hybernum tempus affuerit, tunc leuibus aromatum suffitibus utatur. Nam si ei noxium fuerit quod de fumo exit, sola aromatum praesentia in loco mansionis suae sit contentus, ut quod de odore ab aromatis expirat, sua ui aperiat uasorum obserata orificia, & crassitudinem extenuet, & omnibus frigidis, atque humidis dispositionibus corporis occurrat. Aromata sunt cinnamomum, gariophyllum, macis, nux myristica, lignum aloes, moscus, ambra, cortices citrii, arantiae, mastix, Thus, & similia, obseruet igitur Patiens hic Nobilis hanc naturam aeris, quoniam eius morbi causa est pituita, si uerò eius causa esset humor melancholicus aerem ad temperatam humiditatem uergentem deberet inuenire. &c.

CIBVS ET POTVS.

ELigat sibi patiens hic Nobilis Panem ex Tritico. Triticum enim apud omnes nationes frequētissime, immo summa cum utilitate usui paratur, ex triticeis enim panibus ei plus conuenit ille, qui ex tritici simula conditus est, sincerissimus enim panis est, non grauans, non flatuosus, neque deorsum aluum implens, & peroptimè nutrit, ut ait Gal. I. de facultatibus alimentorum, quo fit, ut pane isto non foueatur causa epilepsiae in eo. Sitque panis eius non admodum fermentatus, sui enim superfluenta acetositate noxius est cerebro, neruis, & Thoraci. Quippe neque omnino
fermento

fermento careat, nemini enim prorsus erit accommodus, ut ait Galenus primo de potentiis alimentorum capite secundo dixit enim, at qui omnino fermento caret, nemini prorsus erit accommodus, & non sit salitus, contumax enim est cerebro, & thoraci propter illud uerbum Galeni secundo, de compositione medicamentorum secundum locos, ubi ait Galenus. Sal enim molestum est propter grauedinem & potissimum in capite, sit & eius panis optime coctus, & non admodum, ut qui cruda, incoctaque interiora habet, ambusta uero, obarida, & crustacea exteriora, difficulter enim permeat, & crassos humores progignit, & cerebro nocuos, de quo loquens Galenus primo alimentorum dixit. Is enim deterrimus panis censendus est, & uentriculo inimicus, qui in crustaceis admodum aduritur, in intimis uero incoctus relinquitur, & sit eius panis recens duorum dierum & non plus, & non comedatur calidus propter illud uerbum Auicennae secundo canone. capi. DLXXIII. Panis enim calidus non est apud naturam receptibilis, sitim facit & natat in stomacho propter suam uaporosam humiditatem, cerebro nocuam.

De uino recordabor illius, quod dixit Galenus primo de tuenda sanitate, & in libro exhortatio ad bonas artes, ubi ait. Cum sit omnis excessus fugiendus maximè illum fugere expedit, ex quo non corpori modo, uerum animo damnum accedit. Qua de re cum corpori patientis uini potus damnum ingerat, ne dum haustum gustare suaserim, uerum & omnis uini potionem denegarem, nam repleti caput in iuene isto inutile, & molestum est, & uinum halitu caput replet, idcirco id a tota natura contumax pronuncio. Nempe si consuetudine sui uel inordinata illius appetentia, uel uiolento aliquorum irritatu ad uini cogatur potionem, sit uinum album, tenue, imbecillum uirium, ut caput minime percutere ualeat, & benè aqua mixtum, præcipit hoc Galenus primo de tuenda sanitate, & quinto

de

de locis affectis. cap. quinto. Tale enim uinum ut uentriculum robustum efficit, ita haudquaquam tentat caput, id quod facere solent uina, quæ uehementes uires obtinent. Teneat igitur menti, ut in uictu suo, quod conueniens ei potus est mulsa decoctionis hyssopi, & saluix, quam & uino poterit permiscere in continuis sui uini potionibus.

De carnibus dicam cum Galeno tertio, de facultatibus alimentorum capite primo. Quod animantium pedestriũ, & quadrupedum, atque uetustorum carnes cauere debet, ut Bubula caro, quam comitantur capreoli carnes, & cerui, arietum etiam, & uetustorum castratorum carnes ei contumaces sunt, & plus propter abundantem humiditatem, si uilla raro est ei nocua. De Bubula enim carne dixit Galenus. Bubula enim alimentum ipsa quoque non exiguum, neque discussu leue præstat, sed sanguinem crassiores, quam par est, progignit. primæ enim carnes temporis uetustate terrei alimenti naturam sibi concesserunt, ut ex feculento sanguine procreatæ, sint nocuæ uirtuti animali, & cerebro contumaces, & quia his crassioribus carnibus pauperes magis uescuntur, ideo magis epileptici fiunt.

Carnes quæ ipsi patienti sunt conuenientes, sunt quæ temperaturæ calidæ & siccæ sunt, uel temperatæ humiditatis, si causa epilepsix esset humor melancholicus, ut aliquando contingere potest, ut dixit Galenus in libro medicus, quod si natura tales haberi non possunt, arte præparentur ut omnes auiculæ syluestres, & in arboribus degentes, ac uictum in siccis locis trahentes, & ipsæ tostæ magis conueniunt. Elixatæ uerò si præparentur hyssopo, saluia, & rore marino, & betonica, & sampsuco, conueniunt igitur ficidulæ, turdi, & merule, palumbi syluestres, francolini, & similes. Vbi uerò Aues domesticæ fuerint, ad maiorem siccitatem, parentur, cum hyssopo, saluia, & huiusmodi, quales sunt capones, gallinæ, fasiani, perdices, & huiusmodi. De quadrupedibus sunt ei conuenientes uitulinæ, cuniculi iuuenes

uenes, & castrati iuuenes unius anni benè conditi cum sal-
uia, & dictis, caueat tamen caprarum carnes, quoniam a sui
proprietate epilepsiam faciunt, & fugiat, omnes aues in a-
quis degentes, quoniam sui humida temperatura sunt ei
nocuæ, ut anseres, anates, & huiusmodi. &c.

De piscibus dicam cum Galeno sexto de usu partium
capite nono, quod cum omnibus animantibus frigidiores
sint pisces, & humiditate abundantes, ideo illos ei prohi-
beo, illos maximè, qui in cænosis, sordidisque aquis uescū-
tur, porro & qui in paludibus, & lacubus capiuntur, ex-
crementicii enim sunt, & eorum caro mucosa, ut ait Gale-
nus tertio de potentiis alimentorum. capite. XXIII. fluuia-
lium uerò piscium caro non adeo noxia est ei, & tanto mi-
nus, quanto fluminis aqua rapida, & multiflua est, ipsius
enim torrentis fluxu pisces fatigantur. Quo fit, ut eorum
caro minus excrementitia, minusque mucosa sit, Pisces au-
tem (sed non feri grandesque) qui liberum, & purum ma-
re natant, sunt ei parum boni, maximè cum uentorum dif-
flatu agitatedum attollitur, ut dixit Galenus tertio alimen-
torum cap. XXIII. In silenti namque mari nullisque agitatedo
fluctibus, tanto piscium caro uilior est, quanto minus exer-
citata. Saliti pisces sunt ei contumaces propter illud Gale-
ni secundo de comp. med. s. l. cap. XVIII. sal anxiatium est
propter grauedinem, & maxime in capite.

De ouis dicam cum Galeno tertio de potentiis alimen-
torum capite. XXI. ubi ait, oua quæ ab animantibus nascū-
tur inter hominum numerantur alimenta, quorum sum-
mam alitionis laudem gallinarum oua obtinent, eorum
autem uitellus est ei conueniens, & ab albumine omnino
caueat, sintque ei oua comuni suo esu recentia, & non diu
asseruata, ut dixit Galenus loco dicto. Dura quoque ei oua
sunt noxia. porro sint tremula oua, atque sorbilia, quæ ei
condonantur, ait enim Galenus tremula, molliaque oua
omnium bellissime nutriunt, et sint in aqua cocta ob id,
quod

quod in feruentibus cineribus affata longe tardioris sunt
meatus, & crassioris succi, neque oua in sartagine coquan-
tur, nidore enim ac fumum edunt, succusque ex eis proge-
nitus non solum crassus, uerum etiam prauus, excremento
sus est, & cerebro incommodus.

De lacte dixit Galenus tertio alimentorum capite. XIII.
ipsum inter cibos, qui ab animalibus proficiscuntur, com-
pertum esse, Quod si capiti attendamus, ei nequaquam
lac dabimus propter illud Galeni quinto aphorismorum
commento sexagesimo quarto, ubi ait. Lac uero quod be-
ne coquitur, nutrit, & bonos facit humores, & dum coqui-
tur his pariter attollit ilia, & caput tangit.

De Butyro cum ex eo, quod in lacte pinguisimum est
butyrum progignitur, pinguisimum, uero caput grauet,
ob hoc dicam butyrum à toto genere esse ei aduersum, ut
Galenus ait decimo, simplicium medicamentorum cap. XI.

De caseo à tota sui natura ei contumacem arbitror, &
quanto antiquior est, tanto deterior, concoctionique con-
tumacior, & deterrimi alimenti procreator, ut ait Galenus
tertio de potentiis alimentorum cap. XVI.

De fructibus, eos fructus, quos arboreos appellitât, qui
hominum cibos adiuuant, auctore Galeno secundo ali-
mentorum cap. septimo à tota rei natura esu ei non daré.
Ii quorum mollis atque humidior est consistentia nedum
nutriunt, humidamque ex se alimoniam corpori, afferunt,
uerum & flatuosam cerebro noxiam.

Videmus enim epilepsiam à solo uento progigni, qua-
les sunt ficus, pira, poma, persica, armeniaca, cerasa, pruna,
& huiusmodi. Nempe si ut pueri uoraci quadam appeten-
tia pulsus, quempiam horum cuperet, maturas ficus, ueluti
minus nocuas cōcederem, minus namque prauis succi ad-
generant, omnibus his, qui fugaces, & autumnales uocan-
tur fructus, & si penitus huius uitii non immunes reddan-
tur ficus, iuxta Galenum secundo alimentorum cap. octa-

uo. Certè poma, & pira sub feruentibus cineribus cocta, aliquando ei non denegarem, excalesciens enim ignis, nedum humidum nocuum minuit, uerum & spiritum flatuosum sensim excernit, soluitque, uerum enim uero, cum solidæ consistentiæ fructus fuerint, qui adstringente uia admodum pollent, eos certè iuueni non concederem, quales sunt citronia, mespyla, sorba, nuces, & huiusmodi. Ii porro nedum in transeundo non celeres sunt, uerum & crassum, atque glutinosum succum omnino progignunt, functioni animali nocuum, uterum huius adstrictoria facultatis dulces amigdalæ nihil fortitæ sunt, quippe abstergendi, & attenuandi uia pollent, quo fit, ut usu moderato idoneæ ei comprobentur, & neque caput grauabunt, si post earum corticis ablationem tribus in calida aqua horis permanserint, & nuces auellanæ adstringentis facultatis uia pollent, ut ait Galenus secundo de alimentis cap. XXVIII. quo fit, ut nedum hæc, uerum & iuglandæ nuces ei esca efficiatur nocua, cum fluxiones desuper mouentes caput offendant.

De Leguminibus dixit Galenus primo de potentiis alimentorum ob id quod legumina nulla gratia, nullaque iucunditate prædita sunt, Quippe flatibus admodum uentrem implent, ob hoc ea proculdubio huic iuueni patienti, cuiusuis generis paratus fuerint, ingratas escas pronuntiabo.

De oleribus, quæ ex oleribus esitare debet, excalescentia, atque exsiccantia sint, qualia sunt hyssopus, saluia, betonica, fœniculum, rosmarinus, & huiusmodi. Hæc enim humores crassos, & frigidos, hærentesque attenuant, & abstergunt. Quæ uero frigida, & humida sunt temperatura, ei nocua sunt, Qualia sunt lactuca, endiuiia, beta, spinachia, malua, & huiusmodi. Neque terræ bulbi, qui mordaci acrimonia præditi sunt, ei comedendi sunt. Qualia sunt, allia, cepæ, ascalonia, porri, & huiusmodi, non solum enim tangunt, & percutiunt caput, uerum & pessimi alimenti sunt.

sunt. Caueat ergo ab his, quæ à proprietate solent epilepsiam mouere, ut sunt apium, petroselinum, & fungi.

De exercitio, dixit Galenus primo de tuenda sanitate, Humani corporis excogitata dimotio, non solum ad sanitatis tutelam, uerum & bonam corporis habitudinem necessariam esse, prisci omnes prædicauerunt. Quo fit, ut ei plus conueniat moderata dimotio, quam immoderata quies & ocium. Sitque per loca calida, & sicca, immo arida, ne pedes humectentur.

De somno, dixit Galenus secundo aphorismorum commento primo, si ambo, uidelicet, somnum, & uigiliam cōiectari uoluero, hæc fieri secundum innati caloris motionem, somnum quidem ad intima corporis, uigiliam autem ad exteriora, natiuo calore permoto. Quam ob rem cum in somno multo natiuo calore ad intima uocato exhalitibus multa quantitas capiti ingeratur, quibus facile epilepsia posset excitari, ideo iubeo ipsum non gaudere multo somno, & præsertim diurno, aperta enim fronte ipsum prohibeo.

De accidentibus animi dicam, quod patiens gaudeat, & non tristetur, porro mœstitia reuocat spiritus & calorem ad cor, & exteriora algescunt membra, auctore Galeno secundo de symptomatum causis, Quo fit, ut algor inimicus sit cerebro, gaudeat igitur ipse, & non tristetur.

De repletionem, & inanitionem, Neminem admirari uellem, si uitiosam ciborum, atque potuum repletionem, atque malorum succorum simplici uerbo damnari dignoscatur, Sanè cogor id fateri Galeni uerbo primo aphorismorum commento tertio, ubi ait. Cum enim uasa cibis, & potibus fuerint supra modum repleta, periculum est, ne dirumpantur, aut calor naturalis suffocetur. Quamobrem, quia patiens timore mortis territur, non impleatur, uentres quoque moderatè inanire cogatur, aut cibi, & potus parsimonia, aut sensim cum purgatorii medicamenti eua-

S i i cuatione,

curatio, qua humorum abundantia non grauetur membra, quod facultati animali admodum noxium est. Præterea eius uentriculus non immoderate inaniatur, quoniam inanitus uentriculus aduocat epilepsiam, ut docet Galenus in libro de sectione uenæ contra erasistrateos, & tu uide. Vnum tamen est, in quo patientem hortor, ut pro uirili sua utatur attenuante uictu, iuxta illud Galeni in libro de attenuante uictus ratione, ubi ait, eadem etiam hæc attenuans uictus ratio epilepticos quidem paruos, & incipientes, penitus sanat, inueteratos uero, ac consumatos iuuat non mediocriter.

Cum iam à nobis ostensum sit, quali uictus ratione Nobilis hic Patiens moderandus sit, Alteram rem nunc aggrediar. Quam morbi profligandi facultatem Galenus appellat libro primo de tuenda sanitate. Nempe quoniam morbus hic diuturnus est, ut & alii morbi longi, ob crassos, lentos, ac frigidos humores fiet, ut ait Galenus in libro medicus ex testimonio Platonis, & Hippocratis. Quo fit, ut non facile concoqui possint. auctore Galeno secundo aphorismorum commento. XIX. quippe & in patientibus partibus adeo humores ii impacti, agglutinatique sunt, ut eorum dispositiones magis prædictis tumoribus, inflammationibusque assimilentur, ut Galenus in eodem sensu loco. Idcirco huius iuuenis modus curationis suæ affectionis eadem die medicari, ut in acutis morbis, non modo irrationalis, uerum & fallax, & periculosus est, auctore Galeno primo aphorismorum commento. XXII. Quo fit, ut sensim huiusmodi affectionem medicari opere pretium sit, tum altero die morbi causam concoquendo, tum concoctum excernendo, ut docuit Galenus primo aphorismorum commento. XXIII. & secundo aphorismorum commento nono. Sane igitur nullo prorsus ductus errore mihi suadeo. Iuuenem istum binis medicaminibus per anni temporis spacium uti oportere. Vno uernali tempore, altero,

ro uero autumnali. Quippe huiusmodi medicationes præcauentes erunt morbum, qui futurus est, & curantes illum, qui iam imminet, ut præcauendi, curandique morbum eodem amplectar scopo.

Initio igitur ueris percunte medicamentis ipsum purgari iubeo, porro purgationibus idoneum est id tempus, auctore Galeno in libro de sanguinis missione uerum ut docuit nos Galenus. Docuitque Hippocrates secundo aphorismorum commento nono, & primo commento. XXIII. ubi ait, cum quis purgare corpora uoluerit, oportet fluida facere, mihi nempe assuetudo est fluidum in primis corpus efficere medicamento à latioribus uis excrementa eiciēte, ne à prauis eorum flatibus principalium uires offendantur, & hæ imbecilliores factæ proximam morbi causam concoquere nequeant. Hunc igitur medicandi modum expediam quotidianis sorbitionibus, quibus causa epilepsiæ & catarrhi concoquatur, ipsaque præparabitur ad sui facilem expulsionem.

Primum igitur uesperis priusquam uentrem per horam impleat, sequentem deglutiat bolum. Recip. floridæ cassiæ recenter eductæ, diasenæ lenitiui ana. Vnc. med. specierum ieræ simpl. Galeni. drac. i. & med. radicum pæoniæ tenuiter tritæ. drach. i. misce, & fiat bolus cum zuccharo.

Altero uero sequente die, cum eius affectio diutina sit, qua mentis læsio, & occupatio frequenter fit, Consilium do, ut uesperis duabus horis priusquam cibum capiat, iubeat sibi tres, uel quattuor hyrudines apponi. Sunt enim convenientes propter illud uerbum Hippocratis, melancholicis, & nefriticis, hemorrhoides innatæ bonum, & Principis uolentis eas rectitudine quadam respicere caput, ut ab eonedum humores euacuent, uerum & uapores, ipsi quippe admodum fouentes sunt causam affectionis eius, sanguis autem mittatur quantitate unciarum quinque, uel sex. Eo enim feculento sanguine, exonerabuntur cerebri facultates,

facultates, Quo fit, ut reddantur fortiores ad causam epilepsiae melius æquandam.

Tertia uero succedente die priusquam solis ortus ad nos perueniat, sequentem potionem admodum commodam septem non intermittentibus diebus potam, & tepidam tribues, crassos, & glutinosos, frigidosque humores in cerebro, & toto corpore concoquit, attenuat, & disrumpit. Quo fit, ut obstructas cerebri uias aperiat, quod facultatem animalem admodum iuuat.

Potio est. Recip. hyssopi, betonicae, salviae, stacados arabici, roris marini, sampfuci, chamæpithyos, menthae herbae paralytis, utriusque centaureae, ana. manipu. med. galangae, zedoariae, ana. drach. ii. anisorum. drach. ii. radicum pæoniae drach. i. & med. bulliant omnia in suff. quan. aquae usque ad consumptionem medietatis, & colentur, mox adde nucis myristicae, cinnamomi, macis, sandalorum utriusque. ana. drach. i. tenuiter contritis, & in panni linei fragmento ligatis semel uehementer bulliant, & cum zuccharo optimo quan. suffi. breuietur syrupus, de quo Recip. Vnc. ii. & med. aquae betonicae. Vnc. iii. & med. misce, & patienti dato, sicut dictum est.

Vbi uero tempore, quo dictam potionem capiet aluus ei adstricta fuerit, uel adhuc ei semel tantum, in die obediēt consulo, ut uesperis duabus horis ante quam capiat cibum, alternis quippe diebus clistere huiusmodi ei imponatur. Recip. dictae decoctionis syrupi. lib. i. olei liliorum. drach. ii. uitelli ouorum numero. i. zucchari rubei Vnc. i. & med. misce, & iniiciatur clistere.

Octaua uero die indicis concoctionis apparentibus priusquam nox e' tenebris ad lucem uertatur, sic purgetur ubi aluus admodum mollis non fuerit, Quod si ita, alterum expectet diem. Recip. radicum pæoniae drach. ii. agarici electi. scropul. iiii. zinziberis, salis gemmae ana. gran. iii. omnia in subtili panni linei fragmento ligentur, & cum semel

mel bullierint in decoctione comuni florum & fructuum, in qua bulliant epitimi.drach.i.foliculorum fenæ,polipodii quercini,florum stæcados arabici.ana.drach.ii. Deinde colentur,& cum eo quod colatū est quantum expedit dissolue diasenæ lenitiui. drach. vi. ellectuarii indi. drachmā unam & mediam, ellectuarii succi rosarum drachm. med. Reubarbari electi.drach.i.& med.spicæ.gran.iiii.Reubarbaro trito cum spica,fiat potus,& detur patienti modo dicto.

Cæterum uero permeante æstatis tempore,consulo, ut ter in mense mane priusquam cibum inglutiat, imponatur ei clistere iam scriptum,perutile enim ei erit. Consulo etiam, ut in processu nedum æstatis,uerum & omnium temporum anni caueat à balneis,& lauacris,tum quoniam humidum regimen est, tum perspiratione percutim corpus debilitatur, à quibus causa epilepsiæ facile excitari poterit, & est hæc mens Galeni in libro aduersus erasistratum, & in libro aduersus erasistrateos, de uenæ sectione.Ego igitur sum huius sententiæ, balnea cuiuscunque generis ad fuerint secundum omnem modum administrationis ei admodum nocua,& quoniam eius regimen debet ad siccum uergere, plus laudo leues de mane ieiuno stomacho frictiones,quam in balneo lotiones. Caueat igitur nobilitas patientis ab usu hypocaufti humidum. Usus uero moderatus hypocaufti,si moderatæ quippe caliditatis, & maxime si usus talis fuerit ei consuetus, suæ D. non admodum contumax est. Laudo quoque, ut alternis diebus uespericum uult cubare palato apponat parum sequentis mixturæ. Recip. conseruæ stæcados, conseruæ saluiæ,zucchari rofati, ana.Vnc.i. pulueris pæoniæ drachm.i. misce. Alternis etiam diebus hora eadem, deglutiat grana.iii.Thuris masculi, sui enim natura aromatica corroborat cerebrum & sui siccitate humiditates cerebri consumit, & eius cavitates mundat. Mane uero pluribus diebus non pleno uentriculo mandat,succum deglutiendo primo, post uero mandendo,

C O N S I L I V M

dendo, & multum expuet, de sequenti mixtura. Recip. radicū acori conditarum. Vnc. iii. superaspargatur sequenti puluere. Recip. masticis, pæoniæ, olibani ana. drachm. med. fiat puluis subtilis, & usui seruetur. Laudo quoque omni die antequā comedat per horam capiat duo coclearia infra scriptæ mixturæ. Recip. succi hyssopi, succi betonice, succi iuæ. ana. Vnc. ii. depuratis succis adde cranii humani intenuem puluerem redacti, radicū pæoniæ in modum pulueris tritæ. ana. drach. ii. zucchari optimi quan. suffic. & fiat loch molle. Item laudo, ut plurimum de nocte detineat sub palato unam de sequentibus pilulis. Recip. specierum aromatici gariophyllati. scropu. i. specierum diadraganti frigidi, cranei humani, radicū pæoniæ, radicū consolidæ, ana. drachm. i. in modum pulueris terantur, & cum succo hyssopi fiant pilulæ ad formam lupini.

Oberrata, quæ in uictus ratione contingunt, non modo morbi fiunt, uerum & ab anni temporibus quorum naturæ, atque mutationes morborum naturis affines sunt, auctore Galeno tertio aphorismorum commento. XIX. & primo, commento. XIII. Quapropter cum hyberno tempore cerebri affectiones uigere soleant, auctore Hippocrate tertio aphorismorum, non ab re autumno præcedente iuuenem rursus purgatoriis uti medicamentis, ut ab initio curationis dixi facile iuberem. Quapropter cum autumnus tempus ad nos peruenerit ipsum septenis subscriptis potionibus nullo intermittente die priusquam ad nos sol elucescat uti uelim, ubi tamen prius materia fuerit minorata iuxta præceptum Galeni in commen. illius secundi aphorismorum cum morbi incohant & c. Duabus igitur horis ante lucem capiat sequentes pilulas. Recip. pilularum de agarico mesue pilularum cocchiarum mesue. ana scrop. i. misce cum syrupo de betonica fiant pilulæ numero. iii. sequenti uerò die potet sequentem syrupum prope diluculum, Recip. syrapi de stæcade cum speciebus, syrapi

rupi de betonica, syrapi rosati, mellis rosati col. ana. Vnc. med. aquarum betonicae pæoniae, borraginis ana. Vnc. i. misce. Octaua uero die apparentibus signis concoctionis deglutiat duabus horis ante lucem sequentes pilulas. Recip. Pilularum foetidarum, pilularum cochiarum, agarici, croci. ana. scrupul. i. & cum syrupo de stacade fiant pilulae numero quinque. Pereunte uero autumno tribus diebus corpore iam purgato, laudo iteratam hyrudinum hemorrhoidibus appositionem, ducaturque sanguis ad quantitatem trium unciarum. Quiescat uero patiens tribus sequentibus diebus, & postea admoueantur uessicatoria post aures, & beneficio artis chyrurgicae diu aperta teneatur, his enim exonerabitur cerebrum materiae deriuatione, & euacuatione, & cum istis toto tempore hyemis bis in septimana uespere cum lectum ingredi uoluerit, capiat unam de sequentibus pilulis. Recip. Turbith gumosi, reubarbari electi, agarici electi, ana. drach. ii. zinziberis, salis gemmae, spicae ana. grana. vii. epithimi, polipodii quercini. ana. drach. i. mirabulanorum indorum, scrupul. iiii. seminum pæoniae, ossis cranei humani. ana. drach. i. & med. specierum ierae simpl. Galeni. Vnc. i. diagridii. drach. med. terantur omnia subtilissime, & cum succo pæoniae fiant pilulae. Dosis esto numero. i. unius scrupuli. Item consulo, ut pluribus diebus uespere cum uult cubare apponat palato portionem sequentis mixturae. Reci. theriacae magnae. Vnc. med. pulueris radicū pæoniae, pulueris ossis cranei humani. ana. drach. i. cum syrupo de hysso po fiat mixtura. Laudo etiam, quod aliquando utatur mixtura ex his, quae a sui proprietate conferunt epilepsiae. Ut Recip. stercoris pauonis, epatis asini domestici, epatis perdicis, cerebelli mustelae loti cum aceto, omnium benè exsiccatorum, & tritorū ana. Vnc. med. pulueris pæoniae & eius radicis ossis cranii humani. ana. drachm. ii. zuchari quan. suff. & fiat ellectuarium, conuenit illi diantos, ellectuarium pliris, diamuscus, dulcis, & amarus, diatrion

T pipereon

CONSILIUM VII.

pipereon mitridatum, quæ omnia cum zuccharo rosato sunt peridonea.

Quoniam autem supra diximus pollutionem nocturnam fouere epilepsiam huius nobilis iuuenis ob hoc succurremus pollutioni nocturnæ sic. Recip. sem. agni casti, sem. menthæ, sem. acetosæ, sem. portulacæ, sem. plantaginis. ana. drac. med. terantur & cum zuccharo dissoluto in aqua menthæ fiat confectio in morsulis drach. ii. pro quolibet, omni enim uesperis in ingressu lecti, capiat duos, uel unum de prædictis morsulis, & bibat haustum unum aquæ plantaginis. Repente post inungat sibi totam renum regionem sequenti unguento, Recip. succi solatri, succi semperuiui, succi plantaginis, olei mirtini, olei rosati onfangini. ana. Vnc. med. sem. acetosæ, sem. portulacæ, sem. plantaginis. ana. drach. i. rosarum rub. corallorum rub. ana. drach. i. & med. sandalorum rub. drach. ii. terantur terēda, & cum cæra fiat unguentum pro renibus.

De tertio instrumento, quod fit ex operatione manuum, postquã dixi de sanguinis missione, quæ solum ex hemorrhoidibus facienda est, & non ex alia uia, & cum iam d. sua submitatur crurium uestionibus, & nihil utilitatis speratæ, consulo, ut propinquius attingamus causam morbi cõtinuam, quæ est in cerebro, & admoueamus ei cauterium in prima uel secunda uertebra colli, ex his enim uestionibus existentibus in cruribus iuuamentum præstatur membris consentientibus, ex illo uerò in collo ipsi cerebro deriuando materiam, & habilius cerebrum mundificando, & exonerando. Hæc igitur dixi ad salutem huius nobilis iuuenis, quibus deo consentiente, ad eam, quam optat sanitatem redigetur, Anno Christi. M. D. XLVI. Die quinta augusti, tempore quo Bononiæ Theoricam medicinæ edocebam. Ad laudem illius, qui cælum & terram gubernat. Amen.

FINIS.

AD VERTIGINEM ET SCOTOMIAM,

Pro Domino Francisco Vngarello

Feltriensi.

Artium & medicinae doctore.

Consilium VIII.



Nobilis & excellens Artium, & medicinae doctore, Dominus Franciscus Vngarellus Feltrinus, complexionis sanguineae, cuius caliditate in totum corpus uergente, ipsum rarioris contexturae reddit. Quo fit, ut una à calido excedente, frigidoue, eius totum conturbetur corpus. Hic quippe patitur uertiginem, & scotomiam, quoniam à parua occasione excellentia sua hebetatur, & ab eadem omnia in girum uerti uidentur, adeo, ut interdum cadat, & hanc corporis humani affectionem, Scotomiam idest uertiginem dixit Galenus tertio de locis affectis. capite. viii. Et Auicenna prima tertii tractatu quinto cap. primo. Cuius affectionis causam excellentia sua nunc temporis possidet in capite. Porro ad hoc indicia sunt aurium sonitus, sentitque capitis grauitatem, atque dolorem praesertim anterioris partis, oculorum ob tenebras, & ei lux luminis splendentis admodum nocua est. Quo fit, ut ab ea spiritus commoti, atque debilitati in girum uertantur, uirtusque animalis motiua non firma in instrumeto, nequiens corpus regere, confestim cadat. Et haec sunt accidentia, & indicia uertiginis, & scotomiae causam in cerebro obtinentis iuxta illud Galeni uerbum tertio de locis affectis. cap. octauo, ubi ex testimonio archigenis ait, nam ubi ex primaria cerebri affectione uertigo dependet, aurium sonos, capitis dolorem, atque grauitatem praecedere dicit. Item olfactus, atque alterius cuiuscunque sensus inde pro-

deuntis oblæsionem eos sensus, ut equidem puto significare uolens, qui à capite initium sumunt, & eandem sententiam habuit Galenus tertio aphorismorum, commento. XVII. & XXIII. Non auderem tamen contrarium asserere ei de quo excellentia sua me certiore fecit, uidelicet, hanc scotomicam affectionem forte originem habuisse ab ore uentriculi, eamque oris uentriculi uitium fouere cum uertiginis incrementum sequatur oris uentriculi noxam, decrementumque eius optimam ualetudinē. Attamen nunc temporis suæ Excellentia scotomiam ascribendam esse capiti, non aliter dicam ob illud Galeni uerbum tertio de locis affectis. cap. octauo ad finem, ubi ait. Verum ut iam antea sepe numero monuimus, licet caput per alterius partis consensum afficiatur, affectio tamen nihilominus ipsi ascribenda est.

Nempe scotomiæ suæ Excellentia causas procatharticas dixit Galenus loco dicto, ubi ait. Id uero maxime, cum uel sub sole æstuauerint, uel aliâ ob causam calefacto fuerint, capite. Nam quod aliis cum in circo frequentur uertuntur accidit, hoc ipsis citra circuitionem euenire uidemus, & eandem causam uoluit Gale. iiii. aphor. com. xvii. & huic associantur quæcunq; spiritus uisuos imbecilles reddunt, ut aeris frigiditas, atq; turbulencia, nimia, & nimia perspicuitas. Eiusdem uero uertiginis, uel scotomiæ præcedentes causas dicimus plerumq; esse Os uentriculi oblæsionem iuxta illud Gal. iiii. aphor. com. xvii. ubi ait, fit autem hoc ore uentriculi à malis humoribus morso. Nam propter neruorum magnitudinem, qui ad ipsum à cerebro ueniunt, hac parte patiente, animæ opera detrimentum patiuntur. Eandem sententiam habuit Galenus tertio de locis affectis. cap. octauo, ubi ait, oritur uero interdum cerebeo primario affectu laborante interdum uero cum oris uentriculi consensu. Interdum quippe eius affectionis præcedens causa est, elatus spiritus uaporosus, atque calidus, per arte
rias

rias membranæ retiformis ascendens, atque cerebrum implens, iuxta illud galeni uerbum loco dicto, ubi ait. Etenim aliæ arteriæ his maiores ad cerebri sustentamentum per retiformem uocatam membranam ascendunt, per quas huiusmodi affectionem fieri rationi consentaneum est. Elato per ipsas uaporoso, calidoque spiritu, atque implente cerebrum. Vel eius causa præcedens à nobi ponetur inæqualis cerebri intemperis, huiusmodi uaporosum, calidumque spiritum progignens, ut est Galeni uerbum tertio de locis affectis capite octauo ubi ait, atque fieri etiam potest, ut inæqualis cerebri intemperies huiusmodi spiritum producat, aliquando autem nos dicemus causam præcedentem scotomiæ suæ Excellentia esse abundantem pituitam caput replentem, iuxta illud Galeni tertio aphorismorum commento uigesimo tertio, ubi ait. Nam & hæc passio fit, cum repletur caput pituita. Porro eius causa continens est, inæqualis, & Turbulentus, atque inordinatus motus humorum, & spiritus, qui in cerebro sunt. Et hanc discernit Galenus tertio de locis affectis. capite octauo, ubi ait, at qui ubi quis cerebro uertitur inæqualem & turbulentum, & inordinatum motum, tum humorum tum spiritus in eo fieri in confesso est. Nempe si numero plures has causas reperies à Principe prima tertii, tractatu quinto, capite primo, eas tamen quas diximus ex Galeno Excellentiam patientis inuenies perturbatam. &c.

PROGNOSTICVM.

Porro cum dicat Galenus primo de ratione uictus acutorum commento tertio. Prænotationem multam afferræ commoda in morborum curationibus, ideo priusquam quantam, & qualem patientis ipsius curam habeat morbus, illius prædictiones iungamus.

Primo

C O N S I L I V M

Primo dixit Hippocrates tertio aphorismorum. XVII. austrinae constitutiones uertigines faciunt, quia dissol- uunt corpora, & humectant. Dissoluunt quippe sua calidi- tate, & humectant corpora iam eliquata humiditate hære- te particulis corporis, & præsertim cerebro, quia dixit Hip- pocrates capita aggrauant, & auditum obtundunt, & nolo credere Galeno in commento decimo septimo, mordenti Hippocratem quia dixit prius dissoluunt, cum debuisset di- cere prius humectant. Puto enim Galenum non fuisse re- cordatum, eius, quod est in scientia quarti libri metheo- rorum, Arist. ubi ait, caliditatem agentiore esse, humidi- tatem uerò hebetem, & lentam. Quo fit, ut austrinae con- stitutiones sua caliditate dissolvente humiditates corpo- rum plus, & prius corpora humectent, quàm eadem sua pro- pria humiditate, & sic uerum dixit Hippocrates, Quòd au- strinae constitutiones faciunt uertigines, quia prius sua ca- liditate dissoluunt humiditates corporum, deinde hume- ctant, & non prius humectant corpora, quàm dissoluant hu- miditates, ut uoluit Galenus. Igitur si austrinae constitutio- nes sunt causæ uertiginis, hoc ideo est, quoniam dissoluunt, & humectant corpora, & non quoniam humectant, & dis- soluunt.

Caueat igitur patiens ab austrino flatu, & à quolibet ei simili calido, uidelicet, & humido, ut à continente nos ae- re, & ab exercitio dissolvente, & humectante, & à balneo naturali, uel artificioso, & si enim calidæ fuerit, & sicca na- turæ, accidet fortè ipsum imbecilli utraque existente qua- litate dissoluere humiditates corporis, & nō soluere. Quo fiet, ut corpus humectetur, & uertigo conducatur. Ob hoc non laudo balnea de Abbano in comitatu Patauino, non illa de corsena in comitatu Lucano, non illa Sanctæ Mariæ in Romandiola cum sua debili caliditate dissoluant, & nō resoluant. Suæ tamen Excellentia balnea conuenientia e- runt balnea Petrioli, & per magis Sancti Philippi existen-

tia in comitatu Senensi, quæ suis uigentibus qualitatibus caliditate, uidelicet, & siccitate cerebri pituitam dissoluunt & absoluunt. Seruato quippe cōuenienti temporis spacio, cadentiæ aquæ ab alto supra commissuram coronalem, & est tempus triginta dierum mane, uesperis duciam per horam capescendo.

Secundo dico, & si uertigines, & scotomiæ per magis senibus contingant, ut dixit Hippocrates tertio aphorismorum. XXX. Consistentibus tamen plerumque accidere possunt propter spiritum uaporosum, qui in partibus cerebri utriusque scilicet senis, & consistentis inordinato cietur motu, sæpius uero, ut dixit Galenus in commento, accidit ut in uentriculo uitiosis superfluitatibus aceruatis, ad cerebrum feratur exhalatio uaporosa, Quo fit, ut uertigo in utroque formidolosa, siue ab una siue ab altera causa exordiat, quoniam affinis & consocia est comitali morbo, uerendo, & formidoloso, iuxta illud Galeni tertio aphorismorum commento decimo septimo.

De uertiginibus autem quid dicere oportet, quæ proximæ sunt morbis comitalibus, & his, quos apoplexias nominant. Et dixit Princeps prima tertii tractatu quinto, capite primo. Et uertigo quidem flegmatica similis est epilepsiæ, & in fine. cap. ait, & uertigo quidem frequens, & proprie in decrepitis nuntiat apoplexiam.

Tertio dixit Auicenna prima tertii, tractatu quinto capite primo. Quod plerumque uertiginis curatio fit contingente cephalea, hoc quidem accidit, cum ab insigni caliditate oritur cephalea, qua nedum pituita, uel spiritus uaporosus, quæ in cerebro sedent resoluuntur, uerum & uapor a uentriculi uitio sursum eleuatus, soluitur.

Sed quoniam cephalea contumax est membrum principali, ideo nequaquam tantam peragerem curam, & cet.

Dixit Galenus in libro experimentorum . capite ultimo. Quòd instrumenta, quibus medicus adipiscitur sanitatem sunt tria. Victus ratio, medicinarum potio, & manuum operatio. Et quoniam his omnibus nobilissimum instrumentum est victus ratio, ideo ab eo curam excellentis Doctoris uertiginem, & scotomiam patientis exordiar.

Erit quippe principium ab aere propter illud Galeni uerbum nono methodi curatiuæ non longe à fine ubi ait. Ambiens uerò is est, sine quo nec tolli morbus, nec teneri sanitas potest, & primo de tuenda sanitate non modicam expedit uim Galenus ipsius tuendæ sanitatis in boni aeris electione. Eligat igitur sibi aerem non crassum, & nebulosum clusumque, nullum recipiens perflatum, iuxta illud Galeni primo de tuenda sanitate. Nec qui ob stagnum uel flumen uicinum nebulosus est aer, nec editis undique montibus, in cauo loco clusus, nullum recipit perflatum. Suffocans enim, putrisque est aer, Proinde locum domus accurate sibi conducatur, in quo non sit inclusus aer, perflatus defectum sustinens, dicente Galeno eodem in loco. Similis ei, qui in domibus quibusdam est inclusus, in quibus ob putredinem, & perflatus defectum, plurimus aceruatur situs, huiusmodi enim aer omni plane ætati noxius est. Quippe & aer fumo, uel puluere affectus prohibeatur. Cum enim corpus intrat facultatis animalis transitum tollit uiarum spiritus obstructione. Aerem quoque humidum ualde fugiat, qui & stagni & paludis habitu est infectus. Et qui ex cloacis malam spirat auram. Et qui ex animalium, & olerum, aut leguminum putredine uitium conduxit, aut fimo coinquinatur. Suo enim halitu caput grauât, & animale spiritum offendunt auctore Galeno primo de tuenda sanitate. Purum itaque aerem sibi conducatur, non quippe aliena luce perlucidum, quoniam insignis

gnis lux spiritus animales imbecilles reddēdo, eorum ciet motū. Dixit enim Galenus primo de tuenda sanitate, optimum aerem censeo, qui prorsus sit purus. Porro sit aer suę Excellentiaē calidus, & siccus, calidus quidem, ut pituitam, uel uaporosum spiritum soluere ualeat, plus quippe siccus, quoniam ægritudo semper humida, & confestim non se exponat Excellentiaē utriusque qualitatis agentis aeris, cum ad omnia sequatur uertigo, auctore Auicenna prima tertii, tractatu quinto, capite secundo, quippe non sit aer eius frigidus, quoniam ex capite distillationibus totum corpus offendit. auctore Galeno quinto aphorismorum commento. XXIII. Et non admodum calidus sit propter Galeni uerbum aphorismorum quinto commento. XXII. ubi ait. Calor extrinsecus in capitis dispositionibus facit hæc eadem scilicet distillationes & c. Calidus quippe sit, quoniam ut dixit Galenus eodem in loco, capitis grauitates sanat concoquens, atque resoluens quæcunque molestant.

Nempe si natura aer calidus, & siccus defecerit eo loco, quo sua Excellentia moram trahit, præsertim si tempus hybernum affuerit, leuibus aromatum suffitibus utatur. Considera quia dixi leuibus suffitibus, quoniam à fortibus caput admodum grauatur, auctore Hippocra. quinto aphorismorum. XXVIII. Quod si ei nocuum erit, quod ab aromatibus de fumo exit, tunc sola aromatum præsentia in loco mansionis suæ sit contentus, ut quod de odore ab aromatibus expirat, sua uiuasorum obstructa orificia aperiat, & humorum crassitudinem extenuet, & omnes frigiditas, & humiditas dispositiones corporis animalis corrigat teste Galeno ut supra. At aromata sunt, cinnamomum, gariophyllum, macis, ambra, lignum aloes, moscus, cortices citrii, arantia, mastix, thus, & similia.

Quippe si Excellentia sua pergratum habuerit ignem potissimum hyberno tempore. Sit ex lignis roris marini,

iuniperi, & lauri. Porro si ex ligno therebinti, seu thereben-
tinam concreante. Vel ex ligno, quod usitato uocabulo li-
gnum laricis dicitur, ignis accendatur, proficius admo-
dum hic erit ignis, quoniam sui natura crassos, & glutino-
sos corporis humores attenuat, atque resoluit.

Cæterum iuberem Excellentiam suam moderato calido
caput suum munire. Calor enim extrinsecus, & immo-
deratus admodum ei noxius est, & plus frigus, auctore
Galeno quinto aphorismorum commento. XXII. & uige-
simo quarto.

P A N I S.

Panis electio apud suam Excellentiam sit de tritico,
quoniam triticum nedum apud omnes nationes fre-
quentissime, immo summa cum utilitate usurpatur, aucto-
re Galeno primo de facultatibus alimentorum. capite secun-
do, ex triticeis autem panibus Excellentiæ suæ peridoneus est
ille, qui ex tritici simula conditus est. Sincerissimus enim
panis est, naturalia non grauens, non flatuosus, neque deor-
sum aluum replens. Sitque panis non admodum fermenta-
tatus, sui enim superfluente acida qualitate noxius est ce-
rebro, & neruis. Non sit eius panis salitus propter dictum
Galeni secundo de compo. med. s. l. capi. XVIII. ubi ait. Sal-
molestum est propter grauedinem, & maxime in capite,
& sit eius panis aniso. uel sceniculo mixtus. Sitque eius pa-
nis non admodum coctus ut qui cruda, incoctaque inte-
riora habet, ambusta, obarida, & crustacea exteriora. Di-
xit enim Galenus primo de potentiis alimentorum capite
secundo. Is enim deterrimus est panis, & uentriculo ini-
micus, qui in crustaceis admodum aduritur, in intimis ue-
ro incoctus relinquitur. Sit eius panis recens duorum die-
rum, uel trium, non tamen calidus edatur propter dictum
Principis secundo canone. cap. DLXXIII. ubi ait. Panis enim
calidus

calidus non est apud naturam receptibilis, sitim facit, & natat propter suam uaporosam humiditatem, & cerebro nocuam. &c.

VINVM.

Quoniam est omnis excessus fugiendus, maxime illum fugere expedit, ex quo non corpori modo, uerum etiam animo damnum accedit. Ob quam rem cum Excellentia sua corpori, & animo uini potus damnū ingerat, nedum haustum gustare suaserim, uerum & omnis uini potionem denegarem. Quippe uino epoto hume etante, atque calfaciente noxios affectus corpori suo con- ducet. auctore Galeno primo de tuenda sanitate, & in li- bro exortatio ad bonas artes. At cum impleri caput eius sit inutile, uinum autem halitu caput replet, ut ait Gale- nus loco dicto. Idcirco uinum illi pernociuum erit. Si quis enim uiderit Galenum tertio de temperaturis. Excellentia sua uinum non concedet. Idem quoque dicet, si uiderit Principem, prima tertii, tractatu quinto, cap. secundo, ubi ait. Scotomiam patiens non tantum iuuatur a uino, quan- tum a potu aqua, propterea mihi suadeo Excellentia sua potum peridoneum esse Idromel in quo decocta sint hys- sopus, & saluia quae calfaciunt, & exiccant, frigidos, & cras- sos humores, & facultatem cerebri roborant, auctore Gale- no octauo, simplicium pharmacorum. cap. CLII.

Vbi tamen Excellentia sua consuetudine, uel inordina- ta illius appetentia, uel uiolento medicorum irritatu ad ui- ni cogar potionem tribuendam, sit uinum mediocre in colore, imbecillum uirium, ut caput minimè percutere ualeat, dicente Galeno primo de tuenda sanitate & quinto de locis affectis, cap. quinto. Nam huiusmodi uinum, ut uentriculum robutum efficit, ita haudquaquam tentat ca- put, id quod facere solent ea, quae uehementes uires obti-

nent, dum menti teneatur ipsum maiori in parte mulsa cōmixtum fore decoctionis hyssopi, & saluiae. &c.

C A R N E S.

Vetustorum itaque pedestrium animantium carnes cauere debet. Quaecunque enim terrestria animalia temporis uetustate terrei alimenti naturam sibi concesserunt, non optimi sanguinis, sed feculenti, rationali facultati noxii facile procreantia sunt, ut dixit Galenus tertio de facultatibus alimentorum capite primo. Qualia sunt cerui, capreoli, arietes, boues, & ueteres castrati, & huiusmodi. Sint igitur eius carnes temperaturæ calidæ, & siccæ. Quo fit, ut auiculæ syluestres in arboribus degentes, ac uictum in siccis locis trahentes admodum ei conuenientes sint, ut ficidulæ, turdi, merulæ, syluestres palumbi, frigellæ, & huiusmodi. Quòd si domesticæ aues ad minorè siccitatem uergant, condimento parentur cum hyssopo, & saluia, chamæpythi, betonica, & lauro, & roremarino. Quales sunt capones, gallinæ, phasiani, perdices, domestici columbi, hædi, uituli, iuuenes cuniculi, & huiusmodi longè sanè fugiat aues omnes in aquis degentes cum sua humida temperatura sint Excellentia suæ noxiæ. Agninam carnem ei nocuam pronuntiamus ob id, quod humidius alimentum, quàm par est, progignit, auctore Galeno in libro de cibis boni, & mali succi. &c.

P I S C E S.

Cum apud Galenum sexto de usu partium capi. nono compertum sit omnibus animantibus pisces frigidiores esse, namque humido abundantes. Quippe uictus ratio hoc in uertigine, & scotomia non admittit. igitur Excellentia suæ pisces non concedimus, illos maxime, qui in cano-

fis,

sis, & sordidis aquis uescuntur. Porro & qui in paludibus & lacubus capiuntur, excrementitia nanque & mucosa est admodum eorum omnium caro, auctore Galeno tertio alimentorum, capite uigesimo quarto. fluuialium namque piscium non adeo ei noxia est caro, tantoque minus quanto fluminis aqua rapida, & multiflua est, ut ipsius torrentis fluxu pisces fatigentur. Quo fit, ut eorum caro minus excrementitia, atque mucosa reddatur. Potissimum uero eorum piscium caro, ei parum optima est, qui in puro nantant mari, maxime cum uentorum difflatu agitatum attollitur, auctore Galeno tertio alimentorum capite uigesimo quarto, Certè si Excellentia sua pisces admittamus condimento parentur hyssopo, saluia, & roremarino. Salitos pisces ei non admittimus propter id, quod de sale dixit Galenus secundo de compo. med. s. l. capite. XVIII. &c.

O V A,

QVæ ab animantibus oua nascuntur à Galeno tertio facultatis alimentorum capite uigesimo primo, inter hominum alimenta numerantur. Quorum summam alitionis laudem gallinarum oua, demum fasianorum obtinuerunt. At cum albuminis uis frigida sit, & glutinosa Excellentiam suam incommodat. Solo igitur oui uittello eam uti debere non ambigo, sintque oua ex eius communi esu recentia, & non diu asseruata propter illud Galeni uerbum tertio alimentorum capite uigesimo primo. Recentium porro ouorum ad uetera non mediocris est differentia. Quippe optima sunt recentissima, pessima, perquam diu asseruata. Non sint eius oua cocta, seu dura ob id Galeni uerbum ut supra. Cocta seu dura oua, difficilis sunt coctionis, & tardi transitus, crassamque alimoniam corpori exhibent, quæ sanè cerebro, & neruis noxia sunt. Nempe eius oua in aqua decocta sint. Ob id, quod in feruentibus cineribus, assata longè tardioris sunt meatus, & crassioris succi. Quippe quæ in sartagine
condimento

C O N S I L I V M

condimento parantur, longius distent à comuni esu Excellentia suæ, ob id Galeni uerbum ut supra. Quæ uerò in sartagine ad crassitiem usque friguntur oua, deterrimi omnino sunt alimenti, dum namque coquuntur nidorem, ac fumum edunt, succusque ex his prognatus non solum crassus, uerum etiam prauus, & excrementitius est.

L A C.

L Ac numerandum esse inter cibos, qui ab animalibus proficiscuntur, compertum est à Galeno libro tertio de potentiis alimentorum. capite decimo quarto. Quòd si Excellentia suæ capiti attendemus. Dubio procul lac ei denegabimus, auctore Hippocrate quinto aphorismorum sexagesimo quarto.

C A S E V S.

Sermo est Galeni tertio alimentorum cap. xvi. Caseum ex iniecto lacti coagulo formari. Quippe dum formatur acrimoniam accipit, totamque humiditatem relinquit porro magis eo inueterato crescit acrimonia, & is calidior atque urentior redditur, concoctionique contumacior, & deterrimi alimenti procreator, Quam ob rem à tota rei natura excellentia suæ Caseum denegamus. & c.

O L E R A.

Olera, & fructus, quæ sunt humidæ temperatura, qualia sunt lactuca, endiuiia, beta, spinachia, & huiusmodi & cucurbitæ, & mellones, pepones, cucumeres, quæ cum gelidæ, & humidæ sint consuetudinæ, atque larga humiditate omnia affecta, ob hanc rem cum Excellentia suæ morbi causa incrementum suscipiat à gelida, humidaque temperatura

ratura. Non ab re ei fructus huiusmodi nequaquam contribuere auderem. Nempe ficus, pira, poma, persica, armeniaca, cerasa, pruna, & similes fructus sunt ei nocui.

Horum enim molles, atque humida consistétia, nedum tenuem atque humidam alimoniam corpori afferunt, uerum & flatuosam, cerebro, & uentriculo nocuam. Porro poma, & pira feruentibus cineribus cocta, nonnunquam esitare poterit, excalfaciens porro ignis, non solum humidum nocuum minuit, uerum & flatuosum spiritum sensim, excernit, soluitque.

LEGVMINA.

O B id quod legumina, nulla gratia, nullaque iucunditate commendantur. Quippe quæ flatibus uentres admodum implent, auctore Galeno primo de potentiis alimentorum, ea proculdubio Excellentia suæ cuiusuis generis paratus fuerint, ingratas escas pronuntiabo. De aliis uero sex rebus non naturalibus, cum cognouerim Excellentiam suam in his doctam, atque expertam sub silentio præteribo. &c.

SECVDVM CVRATIONIS

INSTRUMENTVM.

A Lterum instrumentum, quod morbi profligandi facultatem appellauit Galenus libro primo de tuenda sanitate, aggrediar. Nempe quoniam eius morbus diutinus est, ut & plerique morbi longi, ob crassos, lentos, ac frigidos fiet humores. Quo fit, ut non facile concoqui possint, ut est Galeni uerbum secundo aphorismorum commento decimo nono. Quippe & in patientibus partibus impacti sunt, atque agglutinati, ita quod eorū dispositiones magis præ duris tumoribus, quàm inflammationibus

bus assimulantur, ut Galenus eodem sensit in loco. Idcirco curationis modus affectionis suæ excellentiæ eadem medicari die, ueluti in acutis expedit morbis, nedum irrationalis, uerum & fallax, atque periculosus, auctore Galeno primo aphorismorum commento uigesimo secundo. Quo fit, ut sensim huiusmodi affectum medicari opere precium sit. Tum altero die morbi causam concoquendo, tum concoctum euacuando, ueluti edocuit nos Galenus primo aphorismorum commento. XXIII.

Sanè igitur nullo porro ductus errore mihi suadeo excellentiam suam binis medicationibus per anni temporis spatium medicari oportere. Vna uernali, altera uero autumali tempore initiantibus, Quippe huiusmodi medicationes præcauentes erunt morbum, qui futurus est, atque curantes illum, qui iam imminet, ut præcauendi, atque curandi morbum eodem amplectamur scopo.

Initio igitur ueris pereunte excellentiam suam medicamentis purgari iubeo. Porro purgationibus peridoneum est id tempus, auctore Gal. in libro de sanguinis missione. Verum quoniam Hippocrates nos edocuit secundo aphorismorum nono, & Galenus primo aphorismorum commento uigesimo quarto. Vbi uidelicet quis corpora purgare uoluerit oportet fluida facere, mihi nempe assuetudo est fluidum in primis corpus efficere medicamento a latioribus uis eiciente, ne a prauis eorum flatibus principalium uires offendantur, atque hæ imbecilliores effectæ, proximam morbi causam consocio adhuc calore concoquere nequeant.

Primum igitur deglutiat in medio noctis quod sequitur. Diasenæ lenitiui. Vnc. i. specierum ieræ simpl. Galeni. drach. iii. ex his conducatur bolus.

Altero nempe succedente die priusquam solis ortus ad nos pertingat, antidotum sequentem admodum commodam septem non intermittentibus diebus potatam, ac tepidam

pidam capiat. Crassos namque, atque glutinosos cerebri, ac uentriculi humores concoquit, attenuat, atque disrum-
pit. Quippe & eorum spiritus uaporosos consumit, &
soluit.

Recip. Radicum acori, stæcados, satureiæ, maioranæ, sal-
uiæ, hyssopi, camepitos, calamenti, mentastri,
origani de quolibet quantum manus capere potest, ex his
sufficienter coctis cum melle fiat syrupus. Demum cinna-
momi, gariophyllorum, cubeborum, nucis myristicæ, sem-
pæoniæ, piperis nigri, piperis longi, calami aromatici, cro-
ci, zinziberis, spicæ anisorum de quolibet. drach. i. accipito,
& in subtilem puluerem conducito ac in panno lineo ra-
ro ligato, & cum syrupo ebulito, & colato, & eo sic utere,
syrupi dicti. Vnc. i. & med. accipito, syrupi rosati. Vnc. med.
cum aquis saluiæ, betonicæ, boraginis pondere. Vnc. i. pro
qualibet permisceto, & bibito.

Et ubi alius Excellentia sua adstricta foret, his porro
diebus, quibus morbi causa concoquitur quotidiano uti-
tur clysteri, ex his confecto.

Anisum, duacum, chamæmelum, pulegium, centauream
minorem, mercurialem, siclam accipito pondere unius pu-
gilli pro qualibet, agaricum ligatum in panno lineo. drac.
ii. his iungito, ebulitoque. Et de ebulitione. Vnc. x. sumito
cui addito olei rutæ. Vnc. iii. mellis rosati. Vnc. ii. luteū oui
unum. de sale, & zuccharo quoad expedit, & clystere impo-
natur.

Cæterum octaua die. Sanè indicia concoctionis appa-
rentibus priusquam nox è tenebris ad lucem uertatur tali
medicamento purgetur.

Acori, stæcados arabici, passularum, radicum fœniculi,
de quolibet. Vnc. med. hyssopi, centaureæ minoris, aniso-
rum, carui. ana. drac. iii. colocynthidos. drac. ii. agarici. drac.
iii. Turbith. drach. ii. Scamoneæ. scropul. iii. & med. zinzibe-
ris, piperis longi, spicæ. ana. drach. med. Reubarbari. drach.

X iii. &

lii. & cum melle quo ad sufficit arte ellectuarium con-
ducatur.

Utere sic. Diacatholiconis. Vnc. mediā, ellectuarii dicti
drach. ii. ellectuarii rosati mesue. drach. i. & med. specierum
ieræ, simplicis. drach. i. & med. Et in aqua coctionis hyssopi,
saluæ, rosarum omnia eliquato, & potui dato. Eo por-
ro die regatur madidi panis in pullæ iusculo, decoctionis
hyssopi, modicumq; pullæ carnis esitādo mane & uesperi.

Cæterum quattuor peractis diebus post alui purgatio-
nem iubeo excellentiam suam assentiri sectioni uenarum
post aures, his appositis quattuor hyrudinibus ob illud
uerbum Galeni tertio de locis affectis. capite octauo ubi
ait. Quam ob rem nonnulli horum ab arteriarum sectio-
ne præsidium petierunt, arterias pone aures & c. Porro cū
non tutum sit arterias secare, dixi ego uenas, & in hoc di-
xit Princeps prima tertii, tractatu quinto, capite tertio.
Est enim optima in curatione omnium specierum uertigi-
nis materialium, & quandoque inuritur, & proprie in ea,
cuius causa est ascensio uaporum ex corpore, in quacunq;
uia eleuantur.

Eodem uero uernali tempore iuberem Excellentiam
suam bis in mense purgari sequenti purgatorio.

Ellectuarii descripti. drachm. ii. & med. ieræ simpl. Vnc.
med. pro uice una fiat bolus.

Ob errata, quæ in uictus ratione contingunt, non mo-
do morbi fiunt, uerum & a temporibus, quorum naturæ
atque mutationes morborum naturis affines sunt, ut dixit
Galenus tertio aphorismorum, commento uigesimo ter-
tio. Non ab re autumno procedente. Excellentiam suam
rursus purgatoriiis uti medicamentis, ut ab initio curatio-
nis exposui, facile iuberem. Quam ob rem cum autumnii
tempus ad nos aderit eam septenis. inscriptis sorbitioni-
bus haudquaquam intermittente die, priusquam sol no-
bis elucescat uti uellem.

Syrupi iam dicti. Vnc. i. & med. Oximellitis, mellis rosa
ti col. ana. Vnc. med. quibus permisceto aquæ betonica,
menta, boraginis, ana. Vnc. i.

Cæterum cum coctionis indicia apparuerint sic purga-
to ellectuarii ante scripti. drach. ii. ellectuarii succi rosarum
drach. i. diacatholiconis. Vnc. med. diasenæ lenitiui. drach.
ii. accipito, & cum aqua coctionis saluiæ, hyssopi, betoni-
cæ, & maioranæ, potum conficito, & dato.

Hyberno namque tempore procedente, quod experien-
tia frequentius didici, ita excellentiæ suæ salutare præsi-
diū esse non ambigo, uidelicet, si octo dierum temporis inter-
uallo terebintinam semel atque iterum non impleto uen-
triculo excellentia sua capiat. Quippe assumptionis men-
sura quattuor sit drachmarum. Vidi hoc a Galeno libro
quinto de tuenda sanitate, ubi ait, similiter & terebinti re-
sina, sumitur autem aliquando nucis ponticæ magnitudi-
ne, aliquando duarum, triumue, quippe non modo al-
uum soluere citra noxam potest, sed etiam uiscera omnia
iecur, lienem, renes, pulmonemque abstergere.

At mihi familiare remedium, & expertum in uertigine
& scotomia, & in præcauendo a casu in epilepsiam, & apo-
plexiam est, si quolibet mane patiens utatur aqua, quam
modo describam.

Radicum acori lib. ii. præniæ lib. med. galangæ, zedo-
arii ana. Vnc. i. & med. chamæpythios, centaureæ minoris,
saluiæ domesticæ, maioranæ, stæcados. betonica, roris mari-
ni, pulegii, calamenti, polipodii, polii, folii, ana. Manip. i.
rosarum rubearum, granorum mirthi ana. Manipul. med.
Omnia hæc crasso modo terantur, atque in lib. ducentum
uini albi odoriferi infundatur, spacio temporis trium die-
rum, demum uinum coletur, uiolenta, & forti facta ex-
pressione. Cæterum uinum in alembico uitreo ponatur,
& distilletur aqua, cui adde nucis myristicæ, macis, gario-
phylorum, cinnamomi, ana. Vnc. i. & med. crasso modo

disruptorum, trahant quippè moram per diem natura-
lem demum rursus per alembicum distilla aquam, & ter-
tio & quarto, & quinto, usque ad nonam distillationem
eandem distillabis aquam, nona distillatione peracta, rema-
nenti aquæ adde foliorum auri numero .100. foliorum
argenti numero. L. omnium fragmentorum ana. drach. ii.
margaritarum. Vnc. med. omnia terenda in subtilissimum
conduces puluerem, & iterato vicibus duabus eandem di-
stillabis aquam, ultimo uerò distillatam aquam, cum mo-
sco, & ambra aromatizabis, & sic diuinum elixir uitæ ex
mei officina habebis, cui uolo excellentiam suam tantam
adhibere fidem, ut omnino eo sanari debeat, & a futuro
longe deteriore lapsu prohiberi.

Modus usus elisir uitæ est, mane priusquã tribus horis
uentrem impleat cum modica, immo modicissima aqua
illa diluat sibi frontem, & nares, & colli spinam, demum bi-
bat infra scriptum potum. Aquæ saluæ, aquæ endiuia ana.
Vnc. med. Elisir uitæ guttas quinque accipito, misceto, &
bibito. &c.

INSTRUMENTVM CVRATIO- NIS TERTIVM.

N Eminem ambigere uellem opus illud, quod urendo
manu posita a nobis efficitur, postremum medicinæ
Prisci appellitant. Porro igitur si his, quæ in uictus ratione
præcedenti sermone scripta sunt, nullum Excellentia sua
præsidium concapescat, minusque his medicamentorum
portionibus indubitato iubeo. Duas uel alteram earum par-
ticulas urere, peridoneum fore, quippe sit prima, uel post
aures ut ex Galeni uerbis colligi potest tertio de locis affe-
ctis capite octauo, & a principe prima tertii, tactatu quin-
to, capite tertio. Vel circa primam, uel secundam colli uer-
tebram ubi collum cranio iungitur, altera uerò in qua be-
ne

ne expertus sum, & optimum iuuamentum reperii, est, si deorsum in ambobus cruribus in syluestri parte à genu sane distanter, spatio digitorum quinque inter duos musculos cauterium conducatur. Nempe ii humores, qui corporis uiscera occupant, & partes neruofas aggrauant ad exteriora conducuntur, & deriuantur, euacuanturque. Igitur intrepida fronte Hortor, admoneoque excellentiam suam huiusmodi medicamento fatigari debere, ob eius utilitates, atque laudes, quas ei Galenus sexto. Epidimiarum, & Auicenna quarta primi concessere, at quia à doctis suæ excellentiæ medicis, tot, & tanta morbi præsidia oblata sunt, tum ad morbi exordium, tum ad eius processum, non ab re erit, leui quippe præcedente purgatione, quæ de cauterio diximus, nunc temporis exercere. His porro peractis cauteriis, consulo excellentiam suam tribus sequentibus antidotis uti debere.

Primum ter in mense, cum uult dormire sumpta cæna ingutiat has pilulas. Recip. pilularum sine quibus scrop. ii. pilularum aurearum nicolai. scro. i. confice pilulas quinque cum melle rosato.

Secundum quolibet uesperis cum uult cubare deuoret sequentem bolum. Recip. conseruæ stæcados, conseruæ saluiæ, zucchari rosati ana. drach. ii. ex his fiat bolus.

Tertium quolibet die prope diluculum accipiat sequentem bolum. Recip. Mitridati optimi scrop. i. specierum pliris. drach. med. zucchari rosati, drach. ii. misce. Et uolui dixisse hæc.

Ego Benedictus Victorius Fauentinus, Ad laudem Dei, & ad fanitatem inducendam tuendamque suæ excellentiæ, quam admodum diligo. & cet. Patauii.

FINIS.

AD VERTIGINEM

Pro quadam nobili matrona germana.

Consilium IX.



Nobilis, ac Generosa Matrona quædam Ger-
mana ætatis annorum quadraginta nouem
temperaturæ, ut aiunt, potius ad frigidum,
& humidum uergentis, & epatis calidi non
in signi caliditate, sed imbecilli, & remissa, ut
alias a calore quodam febrili correpta, natu-
ralis epatis caliditas fuit abolita, ob quam rem uiguit tem-
peraturâ frigida epatis, & apparuerunt indicia futuræ Hy-
dropisis, & præsertim tumor pedum, & dixit Galenus se-
cundo prædictionum libro omnem Hydropisis speciem a
tumore pedum ortum habere.

Cerebrum uerò humidum quippè, & minus calidum
habet. Indicat autem hoc a capite destillatio quo ferè con-
tinue Nobilis Matrona corripitur. Est & uentriculi uitiati
in facultate eius naturali concoctrice, ob consensum a ca-
pite ei contribuente superfluâ humiditatē, dicente Galeno
tertio de locis affectis, capite septimo, cerebrum sui nocu-
mentum propter neruum descendētem uentriculo comu-
nicari, & contra.

Et certè horum dictæ temperaturæ iungitur in hac mu-
liere in signis ipsius matricis gradus humiditatis, indicat
autem istud, quoniam cum morbo suo corripitur abun-
dans humiditas ab eius utero, excernitur. Quo fit, ut ueri-
tatis testimonium ipsa de se perhibeat, affirmans omnem
sui morbum a frigido contingere, ob quod credidit & ip-
sa temperaturam sui in frigidum uergere.

Patitur inquam Generosa hæc Domina uertiginis fre-
quentem occursum, in quem inopinato cadit, percipiēsq̄

ad

ad cerebrum aliquid confluere, eo tempore, quo uertigine corripitur, neque tunc absoluitur ab excitato murmure capitis, cui tanta illi & capitis, & totius iungitur imbecillitas corporis, ut nedum progressus illi prohibeatur, uerum & illi uidetur uix caput suum ferre posse. Cum tunc temporis omnia extra inspecta illi uideantur in girum uerti, & cerebrum supra se ipsum circumuolui existimet. quo fit, ut perinde illi accidat, & appareat, ac si curru ueheretur, & in aquis nataret. Et eo quidem tempore, quo uertigine laborat, illi connascitur nausea, & insignis euomendi cupiditas. Maximè autem uertigo eam inuadit tempore quo ex somno expergiscitur & in lecto se uertit, & plerunque ante cibum, & post, & plerumque tempore quo cibum deuorat, ea infestatur uertigine.

Nempe hanc affectionem, qua magnifica hæc Domina tenetur, recto iudicio uertiginem diximus: cum symptomata dicta sequentia sint uertiginem, auctore Galeno tertio de locis affectis, capite octauo, & Auicenna prima tertii tractatu quinto, capite primo. Quippe scrutari oportet, ut curationis modus recto tramite perficiatur, si huius Magnificæ Dominae uertiginis causa à nobis pensitetur fore cerebrum per sui naturam, an uero per consensum ab aliqua corporis particula ipsi cerebro consentiente, & causam, & uitium uertiginis. Vnde dico quod indicia, quibus significatur uertigo per cerebri naturam, sunt, aurium sonitus, capitis grauitas, & dolor, præsertim anterioris cerebri, & oculi obtenebescunt, & lumen efficiunt ueluti res admodum sibi nocua, à lumine enim splendente spiritus animales commouentur, & debiles fiunt, qui sic facti imbecilles, motu recto nequeunt moueri, sed in girum uertuntur, uirtus quoque animalis motiua non firma in instrumento, quod est spiritus animalis, nequiens corpus gubernare, ipsum relinquit, & confestim cadit. Et hæc indicia dixit Galenus tertio, de locis affectis, capite octauo, &

tertio aphorismorum commento decimo septimo, & uigesimo tertio, & Princeps loco dicto, & his superaddit Galenus olfactus, atque cuiuscunque sensus inde prodeuntis oblationem, uolens eos sensus, ut puto, significare, qui a capite initium sumunt, & certè, cum ita frequenti uertigine Magnifica hæc Domina teneatur, crediderim uniuersa hæc indicia nobilitatem suam associare, ob quæ facile dicerem, eam uertigine turbari per cerebri naturam, seu essentiam, sed hoc certè asserere non audeo, quoniam in delata mihi introductione, tam nuda, neque omnium, neque aliquorum de his indiciis mihi conscriptum est. Ob quam rem lata mente asseuero, propter id, de quo informatio me certiore fecit, huius Magnificæ Dominae uertiginem ex consensu aliquarum partium sui corporis, originem habuisse. Primum quidem ab ore uentriculi uitiato. Indicat autem hoc, prouentus fastidii, & satietatis nauseatiuæ tempore quo a uertigine corripitur. Et hoc dixit Galenus quarto aphorismorum commento decimo septimo. Ait enim, fit autem hoc, uidelicet, uertigo ore uentriculi a malis humoribus morso, nam propter neruorum magnitudinem, qui ad ipsum a cerebro ueniunt, hac parte patiente animæ opera detrimentum patiuntur, & hanc sententiam dixit Galenus tertio de locis affectis, capite octauo, ubi ait, oritur uerò interdum cerebro primogenio affectu laborante, interdum uerò cum ori uentriculi consentit. Secundo non ab re dicerem per consensum ab utero uertiginem hanc concreari posse, cum Nobilis hæc Domina, magna uteri humiditate teneatur, a qua inde uapores turbidi eleuantur ad cerebrum, qui permiscentur spiritibus animalibus, & ipsos commouent, & debilitant, & in nigrum uertunt. Certè tamen opinor ex his quæ modo diximus Magnificam hanc Dominam uertiginem pati per ipsius cerebri naturam, & per consensum duorum inferiorum membrorum, uidelicet, uentriculi, & uteri, a quibus su-

mi eleuati ad cerebrum, si non origine uertiginem progignunt, eam tamen ad minus fouent.

Vbi uero in latiore, & clariore uertiginis cura, præcedentes, & continentes causas coniectari uoluerimus, ut per earum abolitionem morbus tollatur. Certè dicerem plures esse præcedentes causas affectionis suæ nobilitatis. Vna quippe est, os uentriculi oblæsum a malis humoribus ipsum mordentibus (ut iam diximus cum Galeno). Et hac ratione mulier nausea in uertigine corripitur. Altera est, elatus spiritus uaporosus, atque calidus per arterias membranæ retiformis ascendens, atque cerebrum implens, & hoc dixit Galenus tertio de locis affectis, capite octauo, ubi ait, etenim aliæ arteriæ his maiores ad cerebri sustentamentum per retiformem, uocatam membranam, ascendunt, per quas huiusmodi affectionem fieri rationi consentaneum est, elato per ipsas uaporoso, calidoque spiritu, atque implente cerebrum. Altera quidem præcedens causa a nobis ponetur, inæqualis cerebri intemperies huiusmodi, uaporosum, calidumque spiritum progignens. Et hanc uoluit Galenus cum dixit eodem loco, atque fieri etiam potest, ut inæqualis cerebri intemperies huiusmodi spiritum producat, & certius dicemus suæ affectionis alteram esse causam præcedentem, abundantem pituitam caput replentem, & hanc uoluit Galenus tertio aphorismorum, commento uigesimo tertio, ubi ait. Nam & hæc passio fit, cum repletur caput pituita. Continens uero causa uertiginis huius Magnificæ Domina, est inæqualis, & turbulentus, atque inordinatus motus humorum, & spiritus, quæ in cerebro sunt, & hanc dixit Galenus eodem loco, ubi ait, at qui ubi quis cerebro uertitur, inæqualem, & turbulentum, & inordinatum motum, tum humorum, tum spirituum in eo fieri in confesso est.

C O N S I L I V M
P R O G N O S T I C A I N V E R T I G I N E .

Quoniam morbi prænotio, non pauca affert commoda in morbi cura, ut dixit Galenus primo de ratione uictus acutorum cōmento tertio. Ideo prædicam primo. Generosam hanc Dominam omni diligentia, & sollicitudine uti debere, ne ad senectutis ætatem cum hac affectione decurrat, dixit enim Hippocrates tertio aphorismorū trigesimo uertigines per magis senibus cōtingere, quoniam imbecillitate ætatis eorum cerebrum pituita impletur, quam imbecillis cerebri facultas dissoluere non potest, & etiam in cerebri partibus ipsius senis spiritus uaporosus ad generari potest, ex uitiosis superfluitatibus in ipsis existentibus, a quo spiritui animali permixto, ipsum commouet, & in girum uertit, ideo uidetur uertiginem sequi naturam ætatis senilis, & quoniam illius naturæ permutatio est impossibilis. Igitur & ipsius uertiginis in sene curatio est impossibilis.

Secundo prædico Nobilem hanc Dominam præceptis medicorum salutaribus exquisitè obtemperare debere. Medicumque sollicitum, solertem, & prudentem esse debere, in curatione uertiginis, ne cum ea patiens in ætate uigoris diu permaneat, & minus ab ea ætate ad senium cum ipsa perueniat, in utraque enim ætate similis est uertigo epilepsiæ, & apoplexiæ. Dicente Galeno tertio aphorismorū, commento decimo septimo, de uertiginibus autem quid dicere oportet, quæ proximè sunt morbis comitialibus, & his quas apoplexias nominant. Et dixit Auicenna prima tertii, tractatu quinto, capite primo. Et uertigo quidem phlegmatica similis est epilepsiæ, & in fine cap. ait. Et uertigo quidem frequens, & proprie in decrepitis nuntiat apoplexiam. & cet.

C V R A V E R T I G I N I S .

Curationem uertiginis huius Generosæ tribus perficiam instrumentis, ueluti dictum est a Galeno in libro

bro experimētorum ad finem, & a Principe quarta primi, ad principium, uidelicet, uictus ratione, medicinarū exhibitione, & manuum operatione.

In uictus ratione Primo aerem suæ nobilitati modere-
mus, cum dixerit Galenus in de tuenda sanitate. Ambiens
is est, sine quo neque sanitas teneri potest, neque morbus
propelli, & nono methodi curatiuæ, idem dixit, uersus fi-
nem. &c.

AER.

Sit enim eius Aer non crassus, non nebulosus, non clu-
sus, nullum quidem recipiens perflatum, hic enim de-
terrimus est aer nobilitati suæ, cum ab eo certe spiritus ua-
porosus, qui proxima est causa uertiginis, foueatur, de quo
aere loquens Galenus primo de tuenda sanitate dixit. Is
enim suffocans, & putris est aer, nec sit aer, qui fumosus sit
ob stagnum uel flumen uicinum, nec aer sit, qui editis un-
dique montibus in cauo loco clusus nullum recipiat per-
flatum, sed sit aer purus, & perlucidus non aliena luce quo-
niam insignis lux spiritus animales imbecilles reddendo
eorum ciet motum, Et hoc est, quod dixit Galenus primo
de tuenda sanitate, ubi ait, optimum aerem censeo, qui
prorsus sit purus. Proinde locum domus accuratè sibi con-
ducat, in quo non sit inclusus aer, perflatus defectum substi-
nens, ut neque ad ipsum uapor rei putridæ perueniat. Sit
itaque nobilitatis suæ aer calidus, & siccus, calidus quippe,
ut pituitam, uel uaporosum spiritum dissoluere ualeat, sic-
cus autem, quoniam ægritudo est humida. Iubeo nempe
D. suæ ne utriusque qualitatis actiuæ aeris excellentiæ se se
exponat, cum tales uertiginem progignant, ut dixit Auicē-
na prima tertii, tractatu quinto, capite secundo. Non sit il-
lius aer frigidus, quoniam ex capite distillationibus totū
corpus offendit, suæque frigiditate pituitam in capite com-
pingit, & non sit admodum calidus, quoniam ægritudi-
nes capitis conducit, ut dixit Galenus quinto aphorismo-

C O N S I L I U M

rum, commento uigesimo secundo, & uigesimo quarto. Vbi uero deficeret aer natura calidus, eo in loco, quo Nobilitas sua moram trahit, praesertim hyberno tempore, leuibus aromatum suffitibus utatur, a fortibus enim caput admodum grauatur, ut dixit Hippocrates quinto aphorismorum, uigesimo octauo. Vbi autem quod ab aromatibus de fumo exit, ei nocuum esset, tunc sola aromatum praesentia in loco mansionis suae sit contentus, ut quod de odore ab aromatibus expirat, sua ui uasorum obserata orificia aperiat, & humorum crassitudinem extenuet, & omnes frigiditas, & humiditas dispositiones corporis animalis corrigat, ut dixit Galenus eodem in loco, aromata sunt, cinnamomum, gariophyllum, macis, mastix, ambra, lignum aloes, nux muscata, muscus, cortices citrii, arantiae, & similia. At si nobilitas sua pergratum habuerit ignem potissimum hyberno tempore, sit ex lignis roris marini, iuniperi, & lauri, & si ex lignis terebinthi, uel ex ligno, quod usitato uocabulo, lignum laricis dicitur, ignis accendatur, proficius admodum hic erit ignis, sui enim natura crassos, & glutinosos corporis humores attenuat, atque dissoluit. Iuberemque Dominationem suam caput suum moderato calido munire, calor enim extrinsecus, & immoderatus admodum ei noxius est, & plus frigus, ut diximus, ex Galeno quinto aphorismorum, commento uigesimo secundo, & uigesimo quarto.

P A N I S.

Panis electio apud suam nobilitatem sit de tritico, & ex triticeis sibi peridoneus est ille, qui ex tritici simula conditus est. Sincerissimus enim panis est, ut dixit Galenus primo de potentiis alimentorum capite secundo, non enim naturalia grauitat, non inflat, neque deorsum aluum replet, & non sit panis eius admodum fermentatus, sui enim
superflua

superflua acetositate noxius est cerebro, & nervis. Non sit eius panis salitus, quoniam sal molestum est propter grauedinem, & maximè in capite, ut dixit Galenus secundo de compo. med. s. l. capite. XVIII. Sitque eius panis non admodum coctus, ut qui cruda, incocta que interiora habet, ambusta, obarida, & crustacea exteriora, is enim panis contumax est, & sit eius panis recens duorum, uel trium dierum, & calidus non edatur, quoniam apud naturam non est receptibilis, sitim facit, & natat propter suam uaporo-
sam humiditatem, ut dixit Auicenna secundo canone, capite. DLXXIII. &c.

VINVM.

Consulerem cum omnis excessus uiolentiam inferes, & animo, & corpori fugiendus sit, magnificam hanc Dominam nequaquam uinum potare. Primo quoniam impleri caput ei admodum est inutile. Vinum autem halitu caput replet, ut in libro exhortatio ad bonas artes, & primo de tuenda sanitate dixit Galenus: secundo propter dictum Auicennae prima tertii, tractatu quinto, capite secundo, ubi ait. Scotomiam patiens, non tantum iuuatur a uino, quantum a potu aquae. Laudo igitur potum admodum idoneum nobilitati suae fore Idromelitem, decoctionis, hyssopi, & saluae, & coriandrorum, frigidos enim, & crassos humores extenuat incidit, & dissoluit, & cerebri facultatem roborat, auctore Galeno octauo de potentiis simplicium medicinarum, capite. CLII. Quod si nobilitas sua inordinato illius appetitu, uel uiolento faeminarum irritatu ad uini potionem cogatur, sit uinum eius mediocris coloris, & facultatis imbecillis, ut minimè caput ualeat percutere. Dixit enim Galenus primo de tuenda sanitate, & quinto de locis affectis, capite quinto. Tale uinum nedum uentriculum robustum efficere, uerum nequaquam tentare caput, dum recordetur patiens, ipsum maiori in parte

CONSILIUM

parte dilutum fore mulsa decoctionis hyssopi, & saluæ.

CARNES.

Carnes nobilitati suæ conuenientes, sint carnes laudabilis nutrimenti, uergentes tum ad temperaturam calidam, & siccam, ueluti sunt auiculæ syluestres, in arboribus degentes, ac uictum in siccis locis trahentes, ut ficedula, turdi, merulæ, palumbi syluestres, frigellæ. Quòd si aues ad minorem siccitatem uergant, condimèto parentur hyssopo, saluia, roremarino, chamæpythi, betonica, maiorana, & huiusmodi, ut sunt capones, pulli gallinarum, fasiani, perdices, domestici columbi, & animalium etiam quadrupedum, ut uituli, cuniculi iuuenes, hædi & huiusmodi, & certè fugiat aues omnes in aquis degentes, ut sunt anseres, anates, & similes. Agninam carnem fugiat, sui enim larga humiditate nocua est illi, Carnes quoque magnorum, & uetustorum quadrupedum sunt ei contumaces, ut bubula, fuilla, ceruina & ueteris castrati, & omnes salitæ carnes minus ei conueniunt, & elixæ magis idoneæ, quàm tostæ, & in sartagine frixæ. &c.

PISCES.

Pisces à tota sui natura noxii sunt, quoniam sui abundante humiditate pituitam progignunt, quæ est immediata causa uertiginis per essentiam, ut dixit Galenus tertio rphorismorum, commento uigesimo tertio, & præsertim pisces, qui in cænosis, sordidisque aquis uescuntur, & qui in paludibus similiter, & aquis stantibus degunt: excrementitia enim, & mucosa est eorum caro, auctore Galeno tertio alimentorum, capite uigesimo quarto, at pisces, qui in limpidis aquis uescuntur, & præsertim torrentibus, & saxosis fluminibus, & qui de libero sunt mari, & nõ ualde grandes, sunt ei minus nocui, sed in sartagine frixi, sunt admodum contumaces, in aquis uerò elixi sunt minus mali, præsertim si cum hyssopo, & saluia condiantur. & cet.

OVA.

OVA si recentia sunt, & gallinarum sunt ei idonea, quæ autem diu asseruantur, mala. Cocta uero, & dura perniciosa sunt, quoniam cum hoc, quod sunt difficilis permeationis, mali succi sunt progignentia. Sint autem tremula, & in aquis cocta, in patellis uero frixa admodum sunt contumacia, sibi enim fumum edunt, succusque ex his prognatus, non solum crassus, uerum etiam prauus, & excrementitius est, ut dixit Galenus tertio alimentorum, capite uigesimo primo.

LACTICINIA,

SI capiti huius Magnificæ Dominae attendamus, cū quæ ab animantium uberibus lacticinia proficiscuntur, capiti admodum contumacia sint; auctore Hippocrate quinto aphorismorum, sexagesimo quarto. Ideo omnia lacticinia ei denegamus, cum à tota sui natura illius caput lacerare ualeant. &c.

FRVCTVS, ET OLERA.

QVæcunque olera, & fructus frigida, & humida temperatura. Qualia sunt lactuca, endiuiia, beta, spinachia, & huiusmodi, & cucurbitæ, melones, pepones, cucumeres, ob gelidam, & humidam sui consistentiam, atque larga humiditate affecta, sunt admodum ei pertinacia. Nempe & ficus, pira, poma, persica, armeniaca, cerasa, pruna, & similes fructus, sunt ei nocui, horum enim mollis, atque humida consistentia, nedum tenuem, atque humidam alimoniam corpori afferunt, uerum & flatuosam cerebro, & uentriculo nocuam, poma uero, & pira feruentibus cineribus cocta, nonnunquam esitare poterit, exalfaciens enim ignis, nedum humidum minuit, uerum & flatuosum spiritum sensim excernit, soluitque.

LEGVMINA.

CVm efflatibus uentres admodum impleant omnia legumina, quæ nulla gratia, nullaque iucunditate commendantur,

C O N S I L I V M

mendantur, auctore Galeno primo de potentiis alimentorum, ea cuiusvis generis paratus fuerint, ipsi ingratas escas pronunciamus.

Nempe non impleatur cibo, & potu plus, quam oportet, sed in uictus ratione, attenuante utatur diæta, minusque in comuni sui esu uesperis abundanter comedat, ne noctu humiditate uaporosa à plurimo cibo eleuata, caput admodum impleatur, contentus sit igitur uesperis pauco cibo atque potu.

Caueat à somno multo, & præsertim diurno, neque fortiter utatur exercitio, quoniam uires laxat, & in cerebro humiditates eliquat, à quibus inde commotis uapores eleuantur ad spiritus animales, qui commoti uertiginem efficiunt.

Gaudeat Magnifica hæc Domina, & lætetur, ne animæ passiones exterminent eius corpus, & eam, quam habuit à natura consistentiam permutent, ut dixit Galenus tertio artis medicæ. &c.

SECUNDVM CVRATIONIS INSTRVMENTVM.

Nempe quoniam huius Magnificæ Dominae. Morbus diuturnus est, dicam sicut & plerique morbi longi à crassis, lentis ac frigidis humoribus originem habent, ita & hic, quo ipsa tenetur morbus, sunt & ipsi humores sui natura, & qualitate non facile concoctiles, ut dixit Galenus secundo aphorismorum, commento decimo nono. Idcirco curationis modus nobilitatis suæ non erit sicut morborum acutorum, qui nedum irrationalis, uerum & fallax, atque periculosus existit in diutino morbo.

Igitur opere precium est, morbum hunc sensim medicari, altera quidem die morbi causam concoquendo, altera uero coctum euacuando, ut edocuit nos Galenus primo aphorismorum commento uigesimo quarto. Mihi igitur suadeo nobilitatem suam binis per anni temporis spaciū medicationibus

medicationibus medicari oportere, una uernali altera uero autumnali tempore ipsis iniantibus.

Initio igitur ueris aduentante, iubeo nobilitatem suam sequentibus medicamentis purgari, idoneum enim tempus purgationibus est uernale, auctore Galeno in libro de sanguinis missione.

Primum igitur deglutiat in medio noctis sequentem bolus. Recip. diasenæ lenitiui. Vnc. i. specierum ieræ simp. Galeni. drach. iii. misce, & fiat bolus.

Altero uero succedente die prope diluculum, diebus septem continuis sequentem capiat syrupum.

Reci. radicum acori, stæcados, satureiæ, maioranæ, saluiæ, hyssopi, camedryos, camepityos, calamintes, menta, triorizani, ana. Man. i. ipsis sufficienter coctis cum melle fiat syrupus, cui adde cinnamomi, gariophyllorum, cubeborum, nucis myristicæ sem. pæoniæ, piperis nigri, piperis longi, calam aromatici, croci, spicæ, anisorû ana. drach. i. omnia subtiliter terantur, & in panno lineo raro ligentur, & cum syrupo iterum bulliant, & colentur, & utere sic.

Recip. prædicti syrupi. Vnc. i. & med. syrupi rosati Vnc. med. aquarum saluiæ, betonici, boraginis ana. Vnc. i. misce pro una uice.

Vbi uero aluus Nobilitatis suæ adstricta esset, infundatur ei sequens clystere. Recip. anisorum, dauci, camomillæ, pulegii, centaureæ minoris, mercurialis, siclæ, ana. M. ii. agarici ligati in panno lineo, drach. ii. bulliant, & colentur, & de colatura. Recip. Vnc. x. olei rutæ, Vnc. iii. mellis rosati. Vnc. ii. uitelli oui numero. i. zuchari rubei. Vnc. i. & med. salis comunis. drach. ii. & imponatur clystere.

Octaua uero die indicibus concoctionis apparentibus, sequenti utatur purgatorio.

Recip. acori, stæcados arabici, passularum, radicem fœniculi, an. Vnc. med. hyssopi, cetaureæ minoris, anisorû, carui, an. dra. iii. colocynthidos. dra. ii. agarici, dra. iii. turbita. dr. ii

C O N S I L I U M

scamoneæ. scrupul.iii. piperis longi, spicæ. ana. drach. med.
 Reubarbari. drach.iii. & cum melle quan. suffi. fiat ellectua-
 rium. Quo sic utaris. Recip. Diacatholiconis. Vnc. med. el-
 lectuarii scripti. drach. ii. ellectuarii rosati mesue. drachm. i.
 & med. specierum ieræ simplicis. drac. i. & med. cum aqua
 decoctionis hyssopi, saluiæ, & rosarum, fiat potus, qui exhi-
 beatur duabus horis ante lucem, super dormiendo spacio
 duarum horarum.

Demum quattuor peractis diebus, post alui purgatio-
 nem iubeo nobilitatem suam contentam esse sectione ue-
 narum post aures, his appositis quattuor sanguisugis, ob
 illud uerbum Galeni tertio de locis affectis, capite octauo,
 ubi ait. Quam ob rem nonnulli horum ab arteriarum se-
 ctione præsidium petierunt, arterias pone aures. &c. Por-
 rò cum non tutum sit arterias secare, dixi ego uenas, & in
 hoc dixit Princeps prima tertii, tractatu quinto, capite pri-
 mo. Est enim optima in curatione omnium specierum
 uertiginis naturalium, & quandoque inuritur, & proprie
 in ea, cuius causa est ascensio uaporum ex corpore in qua-
 cunque uia eleuantur.

Eodem uero uernali tempore, iuberem nobilitatem
 suam bis in mense purgari sequenti medicamento.

Recip. Ellectuarii descripti drach. ii. & med. ieræ simpli-
 cis. Vnc. med. pro uice una fiat bolus, & capiat patiens in
 medio noctis.

Autumni uero tempore procedente, ex integro Magni-
 ficam hanc Dominam purgatione uti, ut ab initio curatio-
 nis exposui, iuberem. Ob quam rem a principio autum-
 ni eam infra scriptis syrupis diebus septem continuis uti
 cuperem.

Recip. syrupi descripti. Vnc. med. oximellitis, mellis ro-
 sati. ana. Vnc. med. aquarum betonicæ, menthæ, boraginis.
 ana. Vnc. i. & med.

Octaua uero die signis concoctionis apparentibus
 sic

sic purgabitur.

Recip. electuarii descripti drach. ii. electuarii succi rosarum. drach. i. Diacatholiconis Vnc. med. Diasenæ lenitiui drach. ii. cum aqua decoctionis saluiæ, betonicæ, maioranæ, hyssopi, fiat potus.

Dum tamen accesserit hybernium tempus, iuberem nobilitatem suam sequenti uti medicina, omnibus quidem decem diebus.

Recip. Terebintinæ lotæ cum aqua betonicæ. Vnc. med. specierum ieræ simplicis. drach. i. & med. misce, eam capiat apud diluculum paululum dormiendo. &c.

TERTIVM CVRATIONIS

INSTRVMENTVM.

Porro si his, quæ uictus ratione scripta sunt, minusque, ipsi medicamentorum potibus ullum sua nobilitas præsidium susceperit, iubeo, debere eam assequi salutare remedium, in quo satis expertus sum, & est si deorsum in ambobus cruribus, in syluestri parte à genu sanè distanter spatio digitorum quattuor inter duos musculos cauteriū conducatur, nempe ii humores, qui corporis uiscera occupant, & partes nervosas aggrauant, ad exteriora conducuntur, deriuantur, & euacuantur, & diu aperta teneantur. Ad laudem Dei, qui nos saluos faciat Amen. &c.

Hæc Dixit.

Benedictus Victorius Fauentinus in Gymnasio

Patauino medicinæ theoreticam pri-

mo loco profitentis. M. D.

XXXVIII. Die. IX.

Iunii.





Non multis iam elapsis diebus occurrit mihi nobilis, ac generosa quædam Matrona Germana ætatis annorum, XLV. uel circa, cuius naturalem temperaturam nunc recēfere nequeo. Quoniam eo die, quo cōsiliū aliud supra affectiones præter naturales cōscripsi, eius, & suorum membrorum naturales temperaturas enarraui. Statui enim eius naturalem temperaturam ad frigidum uergere, membrorū etiam principalium eidē confocium quod si ad dictum consiliū recurratur, quod de eius temperatura dicendum est, ibi reperietur, scripsi quoque in eodem consilio tunc temporis, nobilem hanc matronam teneri uertigine, & scotomia, quoniam inopinante cadit, percipiens ea hora casus, ad cerebrum aliquid confluere, neque tunc absoluitur ab excitato murmure capitis, cui tanta illi, & capiti, & totius iungebatur imbecillitas corporis, ut nedum progressus illi prohiberetur, uerū & illi uidebatur uix caput suum ferre posse. Cum tunc temporis omnia extra inspecta illi in girum uerti uidebantur, & alia quoque symptomata illi apparebant, quibus facile quis iudicare poterat, eam uertigine, & scotomia corripit. Sicut apparet ex Galeno tertio de locis affectis, capite octauo, & Auicenna prima tertii, tractatu quinto, capite primo. Et huius uertiginis, & scotomiæ causas procatharticas, præcedentes, & continuas ex scrutatione, quam habui ex præcedente consilio satis sufficienter enarraui, ad quod me remitto. Et quia prænotiones, auctore Galeno primo de ratione uictus acutorum, commento tertio, in modo curæ multa commoda afferunt, ideo sufficiant super hoc ea, de quibus prognosticatus sum, in præcedenti consilio, ad quod præcurras uelim.

Nunc iterato propositus est mihi casus eiusdem Nobilis

lis Matronæ, in quo quæritur salutare præsidium nedum in uertigine, & scotomia, uerum & in duobus symptomatibus, quibus cum illa præcedente affectione nunc temporis corripitur, Quorum unum est, grauitas insignis omnium extremorum sui corporis, ut grauitate illa, membra talia extrema à suis consuetis operationibus facile prohibeantur. Secundum symptoma est ipsius matricis profluuium superfluitatum albarum, à quo ita Matrona hæc affligitur, ut credat se omnem dispositionem, & uertiginosam, & scotomicam, originem contraxisse.

Primi autem symptomatis causam inuenio ego talem, quoniam mulier hæc nobilis non multo ante tempore ex potare iussit, in proprio loco suæ mansionis satis distante à naturalibus thermis aponensibus Patauinis, aquam illam mineralem ut submitteretur potui quippe, & duciæ, unde cum Nobilis hæc Matrona (ut puto) non fuerit exquisitè purgata, non enim sufficit una, uel bina purgatio, sed terna & quaterna, clamant enim omnes docti medici antequàm quis se exponat & duciæ, & potui aquæ thermarum naturalium omne corpus exquisitè purgatum fore, fit igitur, ut corpore non existente mundo, quod intus materia moueatur, & sui grauitate descēdat ad membra extrema, ubi propter multitudinem ipsius materiæ aqua balnei nõ fuit potens ad eam resoluendam, & expellendam extra corpus, & hoc sæpe uidimus nos in Italia fieri, cum corpora se exponunt balneis, corpore non existente exquisitè mundo, alia causa potest esse, quoniam in tam longo itinere aqua aponensis exportata propter distātiā, quam habet à minera sua, in sui uirtute admodum debilitatur, ut nedū materias possit ex corpore pellere, uerum neque eas resolvere. Quo fit, ut ego per uia prognosticationis dicam, inditiū hoc nõ eē admodū bonū, cū significet materiā peccatē in corpore, huius nobilis mulieris fuisse motā & præcipuè in capite, & nõ eductā, propter quod crescit timor futuræ epilepsiæ,
uel

CONSILIUM

uel apoplexiæ,attenta uertigine,& scotomia,quibus corri-
pitur. Vel forte minatur Paralyfim membrorum grauato-
rum , & totale impedimētum motus illorum membrorū.

Secundi uerò symptomatis causam puto esse multitu-
dinē materiæ pituitosæ factæ putridæ in uiiis matricis pro-
pter obstructionem earum,quæ materia pituitosa propter
eius cerebrum esse admodum humidum ruit ad stoma-
chum , & ad uias matricis , Quo fit , ut continuè putridis
factis illis materiebus assiduè confluant & non quidem ab-
re est,ut ab illis materiebus putridis existentibus in matri-
ce,eleuentur mali fumi ad cerebrum,qui permiscentur spi-
ritibus animalibus,& tunc uertiginem,& scotomiam pro-
gignant.

Horum nempe trium Magnifica & Nobilis hæc Domi-
na salutare consilium petit a nobis scilicet uertiginis, gra-
uitatis extremorum membrorum , & ipsius uteri proflu-
uii albi.

Laudo inquàm in curatione uertiginis, & scotomiæ, ut
nobilitas sua illam uiuendi rationem obseruet , quam ex-
quisitè narraui in proximo præcedente consilio, quam nō
repeto,quia sermo meus nunc frustatorius esset, & iterum
iubeo , quod eam uictus rationem obseruet , quoniam in
ea magna suæ affectionis curatio consistit. Et non negligat
hoc, cum sit sermo Galeni in libro experimentorum capi-
te ultimo .Victus rationem nobilius esse instrumentum
conseruandi sanitatem,& propellendi morbum.

Post autem uictus rationem exquisitè obseruatam,sicut
ei narrauimus,necessarium est, nobilitatem suam medici-
nis submitti , cum dixerit Galenus nono methodi curati-
uæ,medicum non debere se exponere exhibitioni medici-
narum,nisi ubi cognouerit uictus rationem non sufficere.
Dixi autem ego alias , quòd cum suus morbus diuturnus
sit a crassis,lentis, ac frigidis humoribus originem habēs,
ueluti suæ nobilitatis morbus, ut dixit Galenus secundo
aphorismorum

aphorismorum, comméto decimo nono, ideo quæ ex præcedenti consilio à sua D. nondum exequita sunt, laudo, ut indubitato bis in anno suum corpus à malis humoribus benè mundet, quoniam sic nedum curabitur his pluribus purgationibus à præsentì morbo, & malis symptomatibus, uerum & præseruabitur ab horrendis futuris morbis, uellem igitur cum nunc temporis ut credo, ea, quæ magistraliter in præcedenti consilio, in autumnì purgatione nõ fuerint, neque sint administrata, quod omnino nunc temporis indicatione assumpta à morbo, & ab accidentibus eius, sequenti purgetur purgatione.

In primis quippe fiat sequens clystere, Recip. florum chamomillæ, betonicæ, florum stæcados arabici, mercurialis, foliorum maluæ, foliorum uiolarum. ana. Manipul. i. Buliant omnia in suff. quant. aquæ usque quo medietas sit consumpta deinceps, de colatura. Recip. Vnc. X. cui addæ Benedictæ. drach. vi. Ellectuarii succi rosarum drac. ii. zuchari rub. Vnc. i. & med. uitelli oui numero. i. salis comunis drach. ii. misce, & fiat clystere. Tertio uerò die sequente, capiat infra scriptum bolum. Recip. Diasenæ lenitiui. drach. vi. ellectuarii indi, drach. ii. misce, & fiat bolus cum zuccharo quem capiat per duas horas ante lucem, sequenti uerò die, iubeo, ut sequentem syrupum bibat in diluculo per septem dies continuos. Recip. syrupi rosati ex infusione rosarum siccarum, syrupi de betonica, syrupi matricariæ, syrupi de endiuia, ana. Vnc. med. Aquarum betonicæ, plantaginis, iuæ. ana. Vnc. i. misce. Octaua uerò die, apparentibus signis digestionis, capiat sequentem medicinã per duas horas ante lucem. Recip. Diacatholiconis. drach. vi. Reubarbari electi, drach. i. & med. spicæ grana. vii. ellectuarii succi rosarum, ellectuarii indi, ana. drach. i. misce, & dissoluatur cum decoctione comuni florum, & fructuũ, cum quo buliant florum stæcados arabici, foliculorum senæ ana. drach. ii. & fiat potus.

Laudo.

Laudo tamen, si possibile est, quod ea quæ de purgatione autumnali scripta in alio consilio cōfestim possint exequi, quod eam sequatur purgationem, & nedum nunc, uerum & tempore uernali permiscendo his ea, quæ non sunt ita eleuatæ caliditatis conferentia fluxui menstruorum alborum, & prohibentia cursum materierum ad membra extrema, sicut sunt rosæ, myrti bacca, & plantago.

Et quoniam puto nobilitatem suam non esse affecutam illud nobile remedium dictum à Galeno, tertio de locis affectis, capite. LXXXI. Et ab Auicenna quinta tertii, tractatu quinto, capite primo, uidelicet, apertionem uenarum, quæ sunt post aures cum applicatiōe hyrudinum, propter hoc laudo, & iubeo, ut antea quam autumnale tempus terminum suum finiat, præcedente purgatione dicta, tale assequatur remedium, & nedum nunc, uerum & aduentante uernali tempore, in cuius principio præcedente purgatione idem expediat remedium.

Laudo quoque aliud remedium per me scriptum in alio consilio, quod saluberrimum certe est, & in morbo suæ nobilitatis, & in accidentibus sequentibus ipsum, & est cauterium, quod aperta fronte statim purgato corpore expedirem, Et quoniam nullum elegantius est cauterium in suis dispositionibus, quam urere cōmissuram coronalem ideo certe ad hoc aperta fronte me intromitterem, cum etenim cerebrum eius dicatur multum esse in causa, fiet euacuatio materiæ lædentis existentis in capite, & diuersio materiæ præcipitatæ ad extrema grauitantis ea. Sed quoniam mulier est, ideo forte isto medicamine plurimum terrebitur, Ideo uellem, ut indubitato & sine mora duo conducerentur cauteria in duobus cruribus, infra genu in parte syluestri per quattuor digitos, & teneantur aperta, quoniam ad ea foramina conducuntur humores à toto corpore, sicuti in alio diximus consilio.

Procedente uerò hyberno tempore, consulo quod omni

ni uespero cum ingreditur lectum applicet palato, ad quantitatem nucis auellanae infra scriptam mixturam. Recip. cōseruæ stæcados, conseruæ saluiæ, zucchari rosati ana. Vnc. i. misce, omni uero mane mandat per unam horam infra scriptas radices. Recip. Radicum acori cond. Vnc. iii.

Nempe mihi familiare remedium, & expertum in uertigine, & scotomia, & in præcauendo a casu in epilepsiam, & apoplexiam est. Si quolibet mane patiens utatur aqua, quam modo describam. Recip. Radicum acori. libras. ii. pæoniæ. lib. med. Galangæ, zedoarii ana. Vnc. i. & med. iuæ, centaureæ minoris, saluiæ domesticæ, maioranae, stæcados, betonicae, roris marini, pulegii, calamenti, polipodii, polii, folii. ana. Manipul. i. rosarum rubearum, baccarum myrti ana. Manipul. med. omnia hæc crasso modo terantur, atque in lib. ducentum uini albi odoriferi infundantur, spatio temporis dierum trium, demum uinum coletur uiolenta & forti facta expressione. Cæterum uinum in alembico uitreo ponatur, & distilletur aqua, cui adde nucis muscatae, macis, gariophyllorum, cinnamomi ana. Vnc. i. & med. crasso modo contusorum trahant quippe moram per diem naturalem, demum iterato per alembicum distilla aquam & tertia, & quarta, & quinta, usque ad nonam distillationem, tandem distilla bis aquam, nona distillatione peracta, remanenti aquæ adde foliorum auri numero. 100. foliorum argenti numero quinquaginta, omnium fragmentorum. ana. drach. ii. Margarit. Vnc. med. omnia terenda in subtilissimam conducas puluerem, & iterato uicibus duabus eandem distilla bis aquam, ultimo uero distillatam aquam, cum mosco, & ambra aromatizabis, & sic diuinum Elisir uitæ ex mei officina habebis, cui uolo nobilitatem suam tantam adhibere fidem, ut omnino eo sanari debeat, & a futuro longo de teriore lapsu prohiberi.

Modus usus elisir uitæ est mane priusquã tribus horis uē

C O N S I L I V M

trem impleat, cum modica, immo paucissima aqua illa diluat sibi frontem, & nares, & colli spinam. Demum bibat infra scriptum potum. Aquæ saluiæ, aquæ endiuia. ana. Vnc. med. Elisir uitæ guttas quinque accipito, misceto, & bibito.

Præter hæc autem, quæ nunc dicimus in curatione uertiginis, & scotomiæ, laudo, ut ea omnia, quæ super hoc scripsi in primo consilio, usui adaptentur, cum hæc optima sint, & saluberrima.

Pro symptomate autem primo, quod est extremorum membrorum grauitas post potum, & duciam aquæ balnei aponensis, non admitto ego, quod à Domino Dauide dicitur, uidelicet, quod non sunt corpora uno, & eodem anno balneanda, & purganda pharmaco, immo si expedit omnigenere medicinarum talia corpora sunt gubernanda: ob quã rem dato, quod nobilis matrona præterito anno fuerit, uel præsentis submissa & Ducia, & potui aquæ aponensis, tamen laudo quod si expedit remedia, quæ sunt à nobis ordinata in duobus consiliis non negligantur. Ultra dico, quod in pluribus aliis contingit, quod post potum aquæ thermarum naturalium accidit grauitas in membris extremis propter dictam rationem, ubi si talia corpora actu forent in balneo, statim, extremorum in illo balneo soluit grauitatem illam, ob quod ego consulo, quod cum nobilis Domina iuamētum perceperit ex ducia, & potu aquæ aponensis uernali tempore accedente, nobilitas sua se transferat præsentialiter ad hæc balnea aponensia, & ad potum aquæ, & ad Duciam, & ad luta. Propter enim potum mundificabitur matrix, & tollentur mali uapores, qui ascendunt ad caput, qui sunt concausæ uertiginis, corroborabitur quoque matrix, & stomachus, ut non multiplicet superfluitates nocuas capiti. Per Duciam uerò corroborabitur caput, si debito tempore, & corpore exquisitè euacuato accipiatur, tunc enim resoluetur materia existens in capite, & prohibebitur fluxus humiditatum à capite ad mēbra extrema,

trema, ubi grauitas perdetur, Per lutum uerò Sancti Bartholomei, in quo nobilitas sua cum extremis sufficienti tēpore morabitur, tolletur & dolor, si aderit dolor in extremitatibus tolletur, & tumor, & grauitas, ob quod aperta fronte quantum ad istud symptoma, primum laudo ista balnea aponensia non transportata, sed in locum propriū expedita, consulo tamen, ut eo tempore præcedente tempus uernale ipsis extremis applicetur sequens remedium. Quoniam resoluit, corroborat, & partim prohibet cursum materierum ad locum.

Recip. florum chamæmeli, betonicæ, saluiæ, chamepytios calamenti, abrotani, fenigræci, sem. lini, granorum mirti, rosarum rubearum, Balauit. corticum granatorum ana. M. i. Bulliant omnia in suffi. quant. aquæ, & uini, usque ad consumptionem medietatis, deinde quolibet mane stomacho ieiuno diluantur extrema, hac decoctione, immediatè uero post quolibet mane diluantur eadem extrema cum modico Elisir uitæ, de quo supra fecimus sermonem.

Consulo quoque, ut Magnifica hæc Domina assuescat calciamentis die, noctuque ex murice suffumigando de tribus diebus, in tribus diebus cum suffumigio sequenti. Recip. nucis myristicæ, gariophyllorū, macis, ligni aloes, ana. drach. ii. terantur subtiliter, & cum prædicto puluere fiat suffumigium.

Pro secundo, symptomate, quòd est superfluitatum albarum continuum profluuium, consulo, ut præcedentibus purgationibus totius corporis quolibet mane utatur infra scripta mixtura, Recip. corticum interiorum auellanarum, sem. rosarum rubearum, corallorum rubeorum, Hippoquist. Boli armeni orientalis. ana. Vnc. med. terantur omnia subtilissimæ, & cum succo cydoniorum, & zuccharo fiat mixtura. Dosis est, mane stomacho ieiuno drach. ii. Similiter uesperis cum ingreditur lectum. Item iubeo, ut omni uesperis cum ingreditur lectum inungantur sibi renes

CONSILIUM IX.

cum sequenti unguento. Recip. succi plantaginis, succi solani, succi semperuiui ana. Vnc. i. olei mirtini, olei masticis, cydoniorum, olei rosati ana. Vnc. med. sem. rosarum rubeorum, corallorum rubcorum, masticis ana. drach. i. & med. terenda terantur subtiliter, & cū modico ceræ fiat unguentum molle. Item laudo quod quotidie diluantur partes uulvæ, usque ad os matricis, cum sequenti dilutione. Reci. uini nigri stiptici. lib. iiii. scorix ferri præparatæ Vnc. vi. misce, & bulliant usque ad consumptionem medietatis uini, deinde colentur, & cum uino diluatur modo dicto.

Vnum tamen uolo, ut Magnifica hæc Matrona obseruet præceptum hoc, quod potus aquæ thermarum de Abano, est unum de optimis præsiidiis cōferentibus huic dispositioni, dum ad potum istius aquæ sequatur potus balnei de Calderiis in comitatu Veronensi existentis, ob quam rem utrique dispositioni Nobilitatis suæ immo omnibus si ad hæc balnea Patauina, & Veronensia se transferat, erit ultimum remedium suæ sanitatis. Ad Dei Gloriosi laudē, qui restituat eam ad pristinam sanitatem. & c.

Benedictus Victorius Fauentinus in Gymnasio Patauino ad theoreticam medicinæ edocendam primum ex ordine locum tenens, sic dixit, & suo consueto sigillo consilium hoc obsignauit, Anno

M. D. XXXVIII. Die

octaua Nouembris.



AD STVPOREM, SIVE MOLLITIEM

Pro Reuerendissimo Domino Iohanne
Episcopo Cuiaviensi.

Consilium X.



Reuerendissimus Dominus Episcopus Cuiaviensis natiuæ complexionis sanguineæ. Quippe & cordis temperaturæ, atq; epatis, calidæ, ut huic calidæ cordis temperaturæ siccitas associetur sit, alteri uerò uidelicet epatis humiditas iungatur, Itaque Dominationis suæ cerebrum ad frigidam, & humidam uergens temperaturam, consimili porrò corrente temperie uentri culi, & intestinorum, mala ei natura fauente, paralyfi corripitur anno ætatis suæ sexagesimo secundo, Et anno Christi M. D. XXXIII. Decima sexta Ianuarii die. Hoc nempe modo edocti sumus uerborū serie doctissimi Medici . D. suæ sanitatem procurantis, qui non modo doctè, uerum & exquisitè, eius temperaturarū notas, tum ex Gale. II. artis paruæ, tum ex rationali indagatione adeò percurrit, ut indubitato illam ei fidem donare cogamur, ueluti si sensus, & nostri ratio perlucide earum indicia perquirerent.

Inspectis igitur uiri bonitate, & nobilitate, at & in diuinis, & mundi actionibus necessitate, eorum mentes, uidelicet, Reuerendissimi ægrotatis, & medici nobilem personā gubernantis, prompta sunt in nobis exostulantiū salutaria remedia: quibus fauente deo Reuerendis Episcopus eā, quam ante habuit sanitatem adipiscatur. & c.

MORBI ESSENTIA.

Quā ob rē uoluntati Dominationis suæ obtēperātes, in salutari nostro cōsilio talē dicendi scopū seruabimus. Primo inquā sui morbi nām, at & illius causas dignoscere

scere conabimur. Porro medicus indubitato fallitur; si a prima die morbum non cognouerit, auctore Galeno primo, de crisibus, capite decimo sexto, & uigesimo, & primo de ratione uictus acutorum; commento tertio. Et primo artis curatiuæ ad Glauconem, capite primo. Quippe dixit Galenus sexto, de morbis & symptomatibus capite primo, non modo sufficere medicum actiones læsas cognoscere, uerum & omnium causas ubi oriantur, intelligere oportet. &c.

Secundo non alienum puto, si Reuerendissimi Domini terminum affectionis ad bonum, uel ad malum prædicere non spernam. Dicente Galeno primo de ratione uictus acutorum, commento tertio, ex Hippocratis testimonio in præfatione libri prædictionum, prænotationem ipsam ad affectionum curationes admodum commodam esse.

Tertio uero morbi curationis scopum aggrediar præcepto Galeni seruato primo, artis curatiuæ ad Glauconem, capite primo, ubi ait. Nam in medicina maximum est, & uia uera, ut primum cognoscas causas, & origines uniuscuiusque ægritudinis, demum quantam, & qualem habeat curam. &c.

In primo igitur capite nos certiores reddit Reuerendissimi Domini Medicus excellens molesantem morbum s. d. paralysem esse, totius partis dextræ, dum postea dixerit & sensum, atque motum sinistrae partis membra non perdidisse, quippe & ea flecti quasi liberè undequaque. Quo fit, ut Reuerendissimi Domini morbum paralysem minime dicere audeam, cum motus omnino non perit, neque sensus, dicente Galeno libro primo, de symptomatum causis ad medium libri. Principio igitur stupidi fiunt. deinde omnino & sensum, & motum amittunt. Nominantque huiusmodi ipsorum uitium paralysem, idest neruorum resolutionem. Eandem quippe sententiam attulit Galenus libro tertio, de locis affectis, capite decimo, ubi ait, cum igitur omnes pariter nerui, tum sentiendi, tum mouendi uim amiserint

rint apoplexia huiusmodi affectio appellatur. Vbi uerò alteri laterum, aut dextro aut sinistro, id accidit, resolutio nominatur, & eodem in loco dixit Galenus. Itaque neruorum resolutio potissimum dicitur, ubi motus deperditus est, ob hæc igitur ad Galeni scopum morbum hunc paralyticum non auderem dicere, neque paralyticam latitudinem habere confessus est Galenus, ueluti nonnulli ex Priscis medicis concessere. Vnde non absolum puto, si Reuerendisissimi Domini affectum, stuporem appellitaret Gale. ob hæc, quæ dixit uerba, libro primo de symptomatum causis ad medium libri. Principio igitur stupidi fiunt, deinde omnino & sensum, & motum amittunt, & paululum post dixit, hæc uidelicet Paralysis quanquam sub eodem genere, quo stupor continetur, differt tamen magnitudine. Est quippe Paralysis, sensus, ac motus interitus, stupor uerò sentiendi, & mouendi difficultas, auctore Galeno eodem in loco. Quo fit, ut Reuerendisissimus Dominus nondum Paralyti corripiatur, sed uia solum qua in paralyticam facile cadere possit, & hanc porro uiam stuporem dicamus, & cogit me potissimum huiusmodi uerbum dicere Galenus. Cum dixit, Principio igitur stupidi fiunt, deinde omnino sensum, & motum amittunt. Nominaturque huiusmodi ipsorum uitium paralysis idest neruorum resolutio. Nempe si quis Galenum inspiciat, aliter pensitare non poterit. At si Arabum uerbis uti uelimus, ut tertio canone, Auicenna pronuntiauit, Reuerendisissimi Domini morbum, mollitiem dicemus, quam paruam quandam paralyticam esse pro confesso habeatur, & tali nominis acceptatione usus est excellens s. d. medicus. Et quoniam Galeno maiorem adhibeo fidem, intrepida fronte dico. Reuerendisissimum d. non paralyticum, sed uia affectum ad facilem casum in paralyticam. Quo fit, sicut paralysis magnitudine a stupore secernitur, pariter & medicamenta secerni debent, ut postea dicemus. & cet.

Cum autem affectio tollatur ex abolitione causæ eius, auctore Galeno tertio, de locis affectis capite primo, ubi ait. Atque ablata re, quæ nocuit, protinus conquiescit affectio, & idem dixit undecimo methodi curatiuæ non longè à principio, & secundo aphorismorum, commento uigesimo secundo, & tertio, artis medicinalis: non ab re arbitror Reuerendisimi Domini causas morbi, ad curationis scopum inuenire perutile esse, Quam ob rem non me latet, quod ab Excellente medico pronuntiatum est. Tria uidelicet causarum genera respondere debere huiusmodi morbo, ut edocuit nos Galenus in libro de diffinitionibus medicis, & in libro de causis morborum non longè à principio, & libro artis medicinalis capite. LXXXVIII. & primo prædictionum, commento tertio. Et primo de symptomatum causis ad medium libri, uidelicet, procatharticam causam, & præcedentem, atque continentem. Quippe ex procatharticis unam potissimum tulerunt, meritoris crebram potionem. Et huius testis est Galenus libro tertio, de temperaturis, ubi ait, sic igitur & uinum ubi plus bibitur, quàm ut uinci possit, tantum abest, ut animal calefaciat, ut & frigidiora uitia gignat. Quippe apoplexiæ, & paraplexiæ, & neruorum resolutio, & comitiales conuulsiones, & tetani immodicum uini potum comitantur, & quinto aphorismorum, commento quinto, dixit Galenus. Substantiæ igitur uini copia neruorum affert conuulsionem, Quippe & huius rationem dixit Galenus, his uerbis. Solet autem neruos facillime replere uinū, ut quod calidam habeat temperaturam, talis siquidem natura propte omnia subintrat.

Alteram attulerunt exterius causam, moram in stupha. Demum sub frigido aere exposito capite. Porro hanc firmat causam Galenus quinto aphorismorum, commento uigesimo quarto, ubi dixit, frigidum exterius partibus
thoracis

thoracis inimicissimum, & ex capite distillationibus, thoracem, quinimmo & totum corpus offendit, & commento uigesimo secundo, ait. Calor quoque extrinsecus facit hæc eadem, hoc quidem scilicet frigidum pressione, illud uero, scilicet calidum dissolutione.

Præcedentes causas dixerunt, tum uitiatam cerebri temperiem in frigidum, & humidum, uergentem, tum copiam pituitosi humoris, quippe crassi, ac glutinosi, cerebro noxii, qui porrò in neruorum ortu detentis, uel eorum foramina obserando, confluxum facultatis animalis, at et spiritum à principe parte ad corporis animalis membra prohibetur: quibus & sentiendi, & mouendi facultas solita erat inhærere. Quo fit, ut eadem membra, omnino sensu & motu priuentur, ueluti ex paralyti, aut difficulter moueantur, sentiantque, ut ex stupore, uel mollitie, Et hunc sermonem uide apud Galenum primo, de symptomatum causis, ad medium libri.

Continentem uerò causam, quam Neoterici coniunctam appellitant, tulerunt, præsentiam pituitæ obstruentis propriam semitam facultatis animalis ad membra confluentis, Quo fit, ut eadem uel stupida, seu mollificata, uel paralytica efficiantur, & de hac causa, loquutus est Galenus primo, de symptomatum causis, & in libro de diffinitionibus medicis, ubi ait. Contentiua causa est, quæ cum sit præsens confestim morbus est, cum uerò desinit esse, morbus euanescit. &c.

P R A E D I C T I O N E S.

Dixit Galenus primo, de ratione uictus acutorum, commento tertio, prænotiones ad affectionum curationes admodum commodas esse, Quam ob rem prædicant primo Reuerendisimi Domini morbum, eum in naufragio constituere, neminem ambigere posse, tum propter illud Galeni uerbum secundo aphorismorum, commento quadagesimo. Quæcunque morborum genera ex frigi-

dis humoribus ortum habent, quæ in quibusdam iuuenibus, nedum in senibus difficulter coquuntur, & eodem in loco, commento quadragesimo tertio, dixit. Quod uerò plures ex morbis diuturnis senes ad mortem comitantur, clarum est, si quidem, & eorum uis imbecillis est, quæ neque morbos facile concoquere potest, Secundo dixit Galenus libro secundo, de temperamentis senes facile in frigidum statum mutantur, & nigri & liuidi fiunt, & frigidis morbis facile capiuntur, apoplexia, neruorum resolutione, stupore, tremore, conuulsione, distillatione, atque raucedine.

Porro perit eorum omnis paulo minus sanguis, eoque una perit & coloris rubor, iam uerò concoctio his & digestio, & sanguificatio, & appositio, & nutritio, & appetentia, & sensus, & motus oblæsa sunt, uitioseque administrata. Et quid quæso aliud est senium, quam uia ad interitum? Itaque si mors naturalis caloris est extinctio, utique senium ueluti tabes quædam eius fuerit. Cum igitur senes facile morbis frigidis capiantur. Quippe qui non nisi copia caloris solui possunt, & senes porro imbecillioris caloris sunt, ex Galeno primo aphorismorum, commento decimo tertio, & decimo quarto. non ab re pronuntiatum est, Reuerendisimi Domini morbum haud facile solui posse. Tertio quoniam a Galeno compertum est, faciliori methodo curationis stuporem, & uiam ad paralysem, corrigi posse, quam ipsa possit paralytis. Dixit enim primo de symptomatum causis ad medium libri. Si uerò non ita uehemens fuerit affectus, stuporem inducet, atque ii mortem effugiunt. Idcirco mihi persuadeo Reuerendisimam D. suam si nostris salutaribus auxiliis, hilari, ac firmo obtemperabit animo, ad eam, quam ante habuit, ualitudinem dubio procul redibit, uolente illo, qui & animos, & corpora nostra gubernat. &c.

AFFECTIIONIS REUERENDISSIMI D. CURATIONIS SCOPUS UNO
trium

trium perficitur instrumentorum, aut pluribus ex his, aut omnibus, auctore Galeno, in libro de partibus artis medicæ summa secunda, capite secundo, & in libro experimentorum, capite ultimo, uictus ratione, medicamentorum potione, atque manuum operatione, At quoniam eorum omnium nobilissimum instrumentum uictus ratio censetur, a Galeno in libro experimentorum, capite ultimo, Principium ab aere exordiar. &c.

A E R.

AB ambiente enim nos Aere corpus nostrum admodum mutatur, auctore Galeno libro tertio artis medicinalis, & libro tertio methodi curatiuæ. capite octauo, & nono, eiusdem non longe a fine, ubi ait. Ambiens uero is est. Sine quo nec tolli morbus, nec teneri sanitas potest, & primo de tuenda sanitate non modicam expedit uim Galen. ipsius. tuendæ sanitatis in boni aeris electione.

Nempe igitur eligat sibi Reuerendissimus patiens aerem non crassum & nebulosum, clusumque, nullum recipiens perflatum, iuxta illud Galeni libro primo, de tuenda sanitate, nec qui ob stagnum, uel flumen uicinum nebulosus est aer, nec editis undique montibus in cauo loco clusus, nullum recipit perflatum, suffocans enim putrisque est. Proinde locum domus accurratè sibi conducat, in quo non sit inclusus aer, perflatus defectum sustinens, ob illud Galeni uerbum, eodem in loco, similis ei, qui in domibus quibusdam est inclusus, in quibus ob putredinem, & perflatus defectum, plurimus aceruatur situs. Huiusmodi enim aer omni planè ætati noxius est. Quippe & aer fumo, uel puluere affectus prohibeatur, cum enim corpus intrat facultatis animalis transitum tollit, uiarum spiritus clausione, auctore Galeno eodem in loco. Nempe aerem humidum ualde fugiat, qui & stagni, & paludis habitu est infectus, & qui ex cloacis malam spirat auram, & qui ex animalium & olerum, aut leguminum putredine uitium cõ

traxit, aut fimo coinquinatur, suo enim halitu caput grauitat, & animale spiritum offendit, ut libro primo de tuenda sanitate dixit Galenus.

Quippe purum aerem, & clarum sibi conducat, ne impuritate & crassitie, vires animæ obnubilet, dicente Galeno, ut supra, optimum aerem censeo qui prorsus sit purus.

Sanè igitur sit s. d. aer calidus, & siccus, non admodum quidem calidus, plus quippe siccus, non quidem frigidus, quoniam ex capite distillationibus, totum offendit corpus, auctore Galeno quinto aphorismorum, commento uigesimo quarto, non admodum calidus sit propter Galeni uerbum, quinto aphorismorum, commento uigesimo secundo, ubi ait calor extrinsecus in capitis dispositionibus facit hæc eadem, scilicet distillationes &c. Calidus quippe sit, quoniam ut dixit Galenus eodem in loco capitis grauitates sanat, concoquens, atque dissoluens, quæcunque molestant. Nempe si natura aer calidus, & siccus defecerit, & in loco, quo s. d. moram trahit, aut hybernum affuerit tēpus, leuibus aromatum suffitibus utatur. Considera quod à me dicitur leuibus suffitibus, cum à fortibus caput admodum grauetur, ut Hippocra. dixit quinto aphorismorum uigesimo octauo, suffitus aromatum. &c. Quod si ei nocuum erit, quod ab aromatis de fumo exit, sola aromatum præsentia in loco mansionis contentus sit, uel quod de odore ab aromatis expirat, quæ sua ui aperiunt obserata orificia, & humorum crassitudinem extenuant, & omnibus frigidis, & humidis dispositionibus corporis animalis peridonea sunt, auctore Galeno eodem in loco.

At aromata sunt cinnamomum, gariophyllum: macis, ambra, lignum aloes, moscus, cortices citrii, arantia, mastix thus, & similia.

Quippe si d. s. pergratum fuerit lucidum ignem inspiciere, & potissimum hyberno tempore, sit ex lignis roris-marini,

marini, iuniperi, lauri. Porro si ex ligno terebinthi, seu terebenthinam concreante, uel ex illo quod usitato uocabulo lignum laricis dicitur, ignis accendatur, proficius admodum hic erit ignis, quoniam sui natura, crassos, & glutinosos corporis humores attenuat, & dissoluit.

Cæterum. s. d. iuberem, ut moderato calido caput suum muniret, calor enim extrinsecus, atque immodicus admodum ei noxius est, plus uero frigidus, auctore Galeno quinto aphorismorum, commento uigesimo secundo, & uigesimo quarto. &c.

PANIS.

Panis electio sit de tritico, quoniam triticum nedum apud omnes nationes frequentissimè, immo summa cum utilitate usurpatur, auctore Galeno primo de facultatibus alimentorum capite secundo, ex triticeis namque panibus D. S. peridoneus est ille, qui ex tritici simula conditus est. Sincerissimus enim panis est, naturalia non grauitans, non flatuosus, neque deorsum aluum replens, & peroptimè nutritiuus, auctore Galeno ut supra.

Sitque panis non admodum fermentatus, sui enim superfluenta acetositate noxius est cerebro, & neruis, quippe neque omnino fermento careat, ob id Galeni uerbum primo de potentiis alimentorum, capite secundo, at qui omnino fermento caret, nemini prorsus erit accommodus.

Non sit eius Panis salitus, propter dictum Galeni secundo, de compo. med. s. l. capite decimo octauo, ubi ait sal anxiatiuū est, propter grauedinem, & potissimum in capite, sitq; eius panis non admodum coctus, ut qui cruda, incocta que interiora habet, ambusta uero, obarida & crustacea exteriora, ignis enim uis in totum panem nequit penetrare, ideoque illum non percoquit, maximè que intimas partes, Dixit enim Galenus primo alimentorum capite secundo. Is deterrimus panis censendus est, & uentriculo inimicus, qui in crustaceis admodum aduritur, in intimis

timis uerò incoctus relinquitur. Sit eius panis recens triū dierum. Sanè tamen calidus non edatur, propter dictum principis secundo canone cap. DLXXIII. Panis enim calidus non est apud naturam receptibilis, sitim facit, & natat propter suā uaporosam humiditatē & cerebro nocuam. &c.

VINUM.

Cum sit omnis excessus fugiendus, maximè illum fugere expedit, ex quo non corpori modo, uerum etiam animo damnum accedit, ob quam rem cum D. S. corpori, & animo uini potus damnum ingerat, nedum haustum gustare suaserim, uerum & omnis uini potionem denegarem, eius namq̃ corpori noxium est uinum. Quippe uino epoto humectante, atque calefaciente, noxios excessus corpori eius conducet, auctore Galeno primo de tuenda sanitate, & in libro exhortatio ad bonas artes. Nempe cum repleti eius caput sit inutile. Vinum autem halitu caput replet, ut ait Galenus eodem in loco. Idcirco uinum illi pernocuum erit, Porro cum humectatio. S. D. noxia sit, uinum autem humectatiuum admodum est, auctore Galeno primo de tuenda sanitate, dubio procul uinum est ei contumax. Propterea mihi suadeo S. D. potum peridoneum esse debere ex hydromelite potus coctionis hyssopi, & saluæ calefacientium, & exsiccantium frigidos, & crassos humores, & facultatem cerebri roborantium, ex Gale. VIII. simplicium pharmacorum. cap. CLII. Si quis igitur galenum inspiciat. III. de temperaturis D. S. Vinum non concedet, uenirem ego interrogandus, si Gale. dicit. V. aphorif. commen. V. Vinum qualitate sua sanat eam, quam fecit dispositionem, neruos calefaciendo, atq̃ exsiccando: cur non damus ei uinum, quod sanè ægritudinem fecit. Huic dicere arbitror, uinum ægritudinem cerebri ideo facere, quia suo halitu cerebrum percutit, grauitatq̃, quippe eo quod totum humectat corpus, atq̃ undequaq̃ ad neruos humiditates conducit, ut placuit Gal. III. de temperamentis. Vi-

num autem cerebri affectionē curare debet, quoniam sua qualitate calefacit, & exsiccat. At quia certius est uinum suo halitu cerebrum percutere & grauare, cum sit ei familiare, quam sua qualitate nervos calefacere, & exsiccare, ut experientia dicitur, ideo tutius est in ægitudinibus cerebri uinum tollere, quam illis tribuere. Quippe de curatione ebrietatis à uino dubiè loquitur Galenus quinto aphorismorum commento quinto, ubi dixit. Et si aliquando hoc facere nequeat, mortem subsequi est necessarium. Quantæ autem ueritatis sit, Galeni dictum quinto aphorismorum, commento quinto. hic sub silentio præteribo, cum alibi salua tanti uiri Doctrina, contrarium demonstraui.

Nempe si Reuerendisimi Domini consuetudine, uel inordinata illius appetentia, uel uiolento medicorum irritatu, ad uini cogar portionem tribuendam, sit uinum album imbecillium uirium, ut caput minime percutere ualeat, Dicente Galeno primo de tuenda sanitate & quinto de locis affectis capite quinto. Nam huiusmodi uinum ut uentriculum robustum efficit, ita haudquaquam tentat caput, id quod facere solent ea, quæ uehementes uires obtinent, dum menti teneatur ipsum maiori in parte mulsa commixtum fore, decoctionis hyssopi, uel saluiæ.

CARNES.

Vetustorum itaque pedestrium animantium carnes, cauere debet, ut Bubula caro est, auctore Galeno, tertio de facultatibus alimentorum capite primo, ubi ait, Bubula uerò alimentum ipsa quoque non exiguum, nec discussu leue præstat, sed sanguinem crassiore quam par est, progignit. Quæcunque igitur terrestria animalia temporis uetustate terrei alimenti naturam sibi concesserint, non optimi sanguinis, sed feculenti, facultati naturali noxii facile procreantia. Quales sunt

sunt ceruorum carnes, & capreolorum, arietumque, & uetustorum castratorum. sintque D. S. carnes temperaturæ calidæ, & siccæ. Quo fit, ut aues syluestres omnes, in arboribus degentes, ac uictum in siccis locis trahentes, admodum ei conuenientes sint, ut ficedulæ, turdi, merulæ, syluestres palumbi, frigellæ & huiuscemodi. Quod si domestica aues ad minorem siccitatem uergant condimento parentur cum hyssopo, saluia, chamæpythi, betonica, & roremarino. Quales sunt capones, gallinæ, & domestici columbi, hædorum, & uituli. Conueniunt ei quoque admodum fasiani, perdices, coturnices, iuuenes cuniculi, lepores, & potissimum cerebrum eorum, paratum hyssopo, & saluia, &c.

Longè sane fugiat aues omnes in aquis degentes, cum sua humida temperatura sint D. S. satis noxiæ, ueluti anseres, & anates. Agninam carnem ei nocuam pronunciamus ob id quod humidiores alimoniam, quam par est, progignit, auctore Galeno in libro de cibis boni & mali succi. &cet.

P I S C E S.

Cum apud Galenum sexto de usu partium, capite nono compertum sit omnibus animantibus pisces frigidiores esse, namque humido abundantes. Quippe uictus ratio hoc in paralyfi, uel stupore non admittit. Idcirco D. S. pisces non concedimus, illos fanè maximè, qui in cænohis & sordidis aquis uescuntur. Porro & qui in paludibus, & lacubus capiuntur, excrementitia namque, & mucosa est admodum eorum caro, auctore Galeno tertio, de potentiis alimentorum capite. XXIII.

Fluuiialium namque piscium non adeo ei noxia est caro, & tanto minus, quanto fluminis aqua rapida, & multiflua est, ut ipsius torrentis fluxu pisces fatigentur. Quo fit, ut eorū caro minus excrementitia, atque mucosa reddatur.

Potissimum uerò eorum piscium caro ei parum optima est, qui in puro natant mari, maximè cum uentorum difflatu

difflatu agitatum attollitur. Dixit enim Galenus tertio, de potentiis alimentorum, capite uigesimo quarto. In silenti namque mari, nullisque agitato fluctibus, tanto piscium caro uilior est, quanto minus exercitata, nempe si D. S. pisces admittamus, ad memoriam reuocare uelim, eos parare saluia, hyssopo, iua, betonica, & roremarino. Salmos pisces ei non dabimus, si dictum Galeni, obseruabimus secundo de comp. med. s. l. capite decimo octauo, ubi ait. Sal anxiatium est propter grauedinem, & maximè in capite. &c.

Salmos pisces

O V A .

QUæ ab animantibus oua nascuntur à Galeno tertio facultatis alimentorum, capite uigesimo primo, inter hominum numerantur alimenta, quorum summam nutritionis laudem gallinarum oua, demum fasianorum obtinere. porro cum albuminis uis frigida sit, & glutinosa D. S. incommodat, solo igitur oui luteo D. S. uti non ambigam. Sintque oua ex eius comuni esu recentia, & non diu asseruata, Hæc fanè recentia facile obediunt cōcoctioni. Diu uerò asseruata, nedum concoctioni pertinacia sunt, sed prauorum progignentia succorum, ob quam rem dixit Galenus tertio, de facultatibus alimentorum, capite uigesimo primo, uerbum hoc. Recentium porro ouorum ad uetera non mediocris est differentia, quippe optima sunt recentissima, pessima perquandiu asseruata. Non sint oua, quæ ei largimur cocta, seu dura, ob id Galeni uerbum eodem in loco. Cocta, seu dura difficilis sunt concoctionis, & tardi transitus, crassamq; alimoniam corpori exhibent, quæ fanè cerebro, & neruis nocua est. Porro sint tremula atque sorbilia, quæ ei admittimus oua, dicente Galeno ut supra. Tremula, molliæue oua omnium bellissime nutriunt.

Nempe in aqua decocta sint, quæ acceperit oua, ob id quod feruentibus cineribus assata, longe tardioris sunt

CC meatus,

meatus, & crassioris succi. Quippe quæ in sartagine condimento parantur, longius distent à comuni esu D. S. ob illud uerbum Galeni ut supra. Quæ uerò in sartagine ad crassitiem usque friguntur ova, deterrimi omnino sunt alimenti, dum namq̃ concoquuntur nidorem, ac fumum edunt, succusque ex his prognatus, non solum crassus, uerum etiam prauus, & excrementitius est. &c.

LAC.

L Ac numerandum esse inter cibos, qui ab animalibus proficiscuntur, compertum est à Galeno, libro tertio de potentiis alimentorum, capite decimo quarto, & in libro de cibis boni, & mali succi. Quòd si D. S. capiti attendamus, dubio procul lac ei denegabimus iuxta illud Galeni quinto aphorismorum, commento sexagesimo quarto. Lac uerò quod benè concoquitur, nutrit, & bonos facit humores, & dum concoquitur his pariter attollit ilia, & caput tangit.

CASEVS.

S Ermo est Galeni tertio, de potentiis alimentorum capite decimo sexto, Caseum ex iniecto lacti coagulo formari. Quippe dum formatur acrimoniam accipit, totamque humiditatem relinquit. Porro magis eo inueterato crescit acrimonia, & is calidior, atque urentior redditur, concoctionique contumacior, & deterrimi alimenti procreator, Quam ob rem à tota rei natura D. S. Caseum minime dandum putamus. Quippe & si facultatis attenuatoriæ crassorum corporis humorum caseus sit, plus porro damni ex succi prauitate, & æstuanti feruore infert, quam crassorum attenuatio prodesse possit, sanè igitur cum omnium caseorum hoc comune uitium esse soleat, D. S. omnem pernegabimus caseum. &c.

BVTYRVM.

C Vm ex eo quod in lacte pinguisimum est, butyrum progignatur, atque leniendi facultatem sibi conducit, &

cat, & molliendi, concoquendi, resoluendique uim habeat, auctore Galeno decimo simplicium medicamentorum capite undecimo, forte fortuna. D. S. butyrum darem, quia concoquendi & resoluendi facultatem tenet. Porro quia leniendi, & molliendi uim habet, butyrum ei denegarem, at quoniam butyri facultas leniendi intra corpus opus suum efficit, concoquendi uero & resoluendi extra auderem D. S. butyrum denegare. Quod si ingenti butyri desiderio afficeretur, butyrum elotum aqua hyssopi, uel saluiae modestè non denegarem. &c.

OLERA.

Quæ ex oleribus esitare debet, porro excafacientia, atque exsiccantia sint. Qualia sunt hyssopus, menta, calamentum, fœniculus, sisimbrium, saluia, betonica, & similia. Hæc enim crassos, frigidos, & hærentes humores attenuant, & abstergunt. Sint porro procul a D. S. quæ sunt frigida, & humida temperaturæ olera. Qualia sunt lactuca, endiuia, beta, spinachia, & huiusmodi. & cet.

TERRAE BVLBI.

Nempe terræ bulbos cauere debet, qui mordaci acrimonia præditi sunt, Quippe tangunt caput, & nervos pungunt, Qualia cape, allia, ascalonia, & similia, acriū porro omnium usus a D. S. euitandus est, cum facultatem quandam alendi corporis obscurissimam habent, auctore Galeno secundo, simplicium pharmacorum, capite ultimo, & in libro de cibis boni, & mali succi. Sed dicet quispiam, cum acria omnia admodum facultate prædita sunt, ut corpus excafaciant, & crassos in eo humores extenuent, glutinososque incidant, ut est Galeni sermo eodem in loco, indubitato ea innocua paralyti, uel stupori censendum uidetur, potissimum quippe, cum ab illis orientur humores, ut in primo, de symptomatum causis dixit Galenus, cui dicimus ea sui mordaci acrimonia, & alimonia,

obscuritate plus corpori noxia esse, quam eidem imperio facultatis attenuandi, atque incidendi, excalfaciendique posse prodesse.

FRVCTVS.

fructus horarij
DE fructibus, quibus homines uescuntur, hos quidem Horarios Prisci appellitant, qui in anni hora nascuntur. Anni horam uocantes id tempus, in cuius medio canicula exoritur, auctore Galeno secundo, facultatis alimentorum, capite secundo. Porro hos quidem terræ fructus nūcuparunt. Quales sunt cucurbitæ, mellones, pepones, cucumeres, & huiusmodi: Qui cum gelidæ, & humidæ sint consistentiæ, atq; larga humiditate affecti, nedum humidam progignunt alimoniam, at exiguam, facileq; è corpore excernibilem, ut Galenus dicere audeat, id genus omnia uitioso succo notata. Quam ob rem cum D.S. morbi causa incrementum suscipiat, è gelida, humidaq; temperatura, non ab re S. D. fructus huiuscemodi longè fugiendos putarem.

Arbori fructus.
 Eos uerò, quos arboreos fructus appellitant, qui hominum cibos adiuuant, auctore Galeno secundo alimentorū capite septimo, à tota ipsius rei natura D. S. esu non dabimus, ii enim, quorum mollis, atq; humida est consistētia, nedum tenuem, humidamq; ex se alimoniam corpori afferunt, uerum & flatuosam, cerebro, & paralyfi nocuam procreant, quales sunt ficus, pira, mala, persica, armeniaca, cerasa, pruna, & huiusmodi. Porro si ut pueri uoraci appetētia pulsī D. S. quempiam horum cuperet, maturas ficus, ueluti minus nocuas ei tradere iuberem, minus namque prauī succi adgenerant, omnibus his, qui fugaces, & autūnales uocantur fructus, & si penitus huius uitii non inimunes reddantur ficus, auctore Galeno secundo alimentorum, capite octauo. Porro arbitror si ficus permaturæ siccitate parentur, hyssopo, sampsuco, & mellis paululo, in uasculo ad hybernum tempus condiantur, recondanturque D. S. Idoneum sanè edulium erit, Nam abstergendi,

di, attenuandique ui pollent, peridonea neruorum resolutioni, & stupori.

Caterum poma, & pira feruentibus cineribus cocta, nonnunquam esitare poterit, excalfaciens enim ignis nedum humidum nocuum minuit, uerum & flatuosum spiritum sensim excernit, soluitque. Quippe si hyssopi pulueribus, addito zuccharo superasperos fructus coctos edat, escam ei non admodum nocuam esse, nullus dubitabit. & cet.

Verum enim uero cum solidæ consistentiæ fructus adfuerint: qui adstringente ui admodum pollent, eos certe D. S. concedere minime auderem. Quales sunt, cydonia, mespila, sorba, nuces, & huiusmodi, ii porro nedum in transeundo tardi sunt, uerum crassum, glutinosum, adstringentemque succum progignunt. S. D. omnino nocuum.

At qui huius adstrictoriæ facultatis dulces amigdalæ nihil fortitæ sunt. Quippe abstergendi, & extenuandi ui pollent, Quo fit, ut S. D. Idonea esca comprobetur, At neque caput grauabunt, si post earum corticis ablationem tribus in calida aqua horis permanferint.

Nuces auellanae porro adstringentis qualitatis ui pollent, auctore Galeno secundo alimentorum, capite. XXVIII. Quo fit, ut nedum hæ, & iuglandes nuces ei esca efficiatur nocua, uerum fluctiones desuper mouentes, difficilem reddunt animalem facultatem. &c.

LEGUMINA.

O Bid, quod legumina nulla gratia, nullaque iucunditate commendantur, quippe & flatibus uentres admodum implent, auctore Galeno primo, de potentiis alimentorum ea proculdubio D. S. cuiusuis generis paratus adfuerint, ingratas escas pronuntiabo. At si laborantis inordinata appetentia ad eorum esum cogeret, plerumque cicerum rubeorum iusculum sorbere iuberem, quod haud putamus admodum inutile, potissimum si hyssopi, saluæ, atque maioranae condimento paretur.

Staphis fructus

C O N S I L I V M

paretur. Nempe hoc modo paratum iusculum attenuandi, & abstergendi crassos, & glutinosos humores, atque eorum meatus obstructos aperiendi ui pollet D. S. certè peridoneum. &c.

M O T I O.

Humani corporis excogitata dimotio, non solum ad sanitatis tutelam, uerum & ad bonam corporis habitudinem necessarium esse Prisci omnes prædicarunt, auctore Galeno libro primo, de tuenda sanitate. Porro igitur ut D. S. bonam reparet ualeitudinem, præcipere oportet, ut corporis motione, atque exercitatione gubernetur, at quoniam non leue incommodum nonnullis accidit, cum repleti cibose exercitant, ut Galenus sexto, de tuenda sanitate dixit, Non ab re, eam pleno uentre exercitari nollem, ea inquam motione uaporibus plerumque impletur caput, fluxiones desuper cadentes ad motionis instrumenta progignentibus. S. D. noxias. Potissimum igitur eius exercitatio sit ante cibum, nihil tamen quin & post cibum. Quippe ante cibum, quoniam ea uirium corporis robur augere solet, auctore Galeno sexto de locis affectis, capite sexto, ea etiam exiguos meatus expurgat, & excrementa pellit, Et ob hoc dixit Galenus secundo, de sanitatis tutela, uerbum hoc utilius est ante cibum exercitationem adhibere. &c.

Cæterum & post cibum non omni hora exercitationi submittatur, quoniam tempus ad exercitationem commodissimum, dixit Galenus secundo, de tuenda sanitate est, cum externus cibus duplici concoctione iam prorsus sit confectus, & ea, quæ in uentre, & ea quæ in uasis sanguinis agitur, ac iam denuo cibandi tempus instet. Quod si aut prius, aut posterius exercitatione utere, aut crudis hominem impleueris, aut pallidæ bilis prouentum auxeris.

Nempe ut Galenus sexto, de tuenda sanitate ait, exercitationes, quæ post cibum fiunt, quàm maxime eas lentas esse

esse expedit, ut haud celerius quàm oportet membris cibibus rapiatur. Illas namque, quæ ante cibum fiunt, magis citas esse oportet, ut quæ euitates superflua implent natura exercitatione in uigore consistente ualentius deiiciantur, hoc permaximè D. S. idoneum: Quippe non has citas esse expedit, quales festinabundi usurpamus, opere aliquo urgente, quia desuper fluxioni clementum afferunt, D. S. aduersum. Cæterum ad has quidem exercitationes corporis frictiones adhibere soleo, ut leuibus frictionibus, quæ extrinsecus fiunt, ea rapiantur, quæ in intimis neruorum locis superflua consistunt.

S O M N V S .

SI ambo somnum uidelicet, & uigiliam coniectari uoluero, hæc fanè fieri secundum innati caloris motiones comperiam, auctore Galeno secundo, aphorismorum commento primo, somnum quidem ad intima corporis, uigiliam uerò ad exteriora, natiuo calore promotum. Quam ob rem cum in somno multo natiuo calore ad intima uocato, ex halitibus multa quantitas capiti ingeratur, quibus fluxiones ad cavitates membrorum conducuntur, ut Galenus sensit. Idecirco nollem D. S. multo gaudere somno, At cum incremento desuper fluxionis ex diuturno somno, causa difficultatis sensus, & motionis concreseat. Non ab re ipsam diuturno somno priuandam esse crediderim.

Porro cum in uigilia spiritus à corde ad corporis particulas diflent, crassos, ac glutinosos humores in cavitatibus ingestos, consocio calore, attenuant, atque disrumpunt, ob id eam maiori temporis interuallo uigilia latari uelim, Quo fit, ut si uetustam multi somni assuetudinem possideret, sensim negligat, & perdat, seruato Galeni præcepto secundo aphorismorum, commento. L.

G A U D I V M .

CVm nimio gaudio animata facultas ad exteriora fertur, si quid antea ei adfuerit roboris. Dum exteriora petit,

CONSILIVM

petit, discutitur, atque dissipatur, ut nonnulli supra modum pusillanimes repente moriantur, auctore Galeno secundo, de symptomatum causis. Propterea gaudeat D. S. gaudio moderato, porro eo non ita ualido motu, ac feruore fertur animata facultas, ad exteriora, ut exoluatur, laxeturque. Quippe si quid ei roboris antea fuit, id detinet, ut de legato spiritu à corde ad membra calore confocio pituitosas humiditates neruorum cavitates obstruentes, dirumpat, atque exoluat, peridoneum D. S. Sed ecōtrario maestiam cauere debet, Nam ea reuocante spiritum, & calorem ad cor, exteriora algescunt membra. Quod D. S. pernoscium est.

REPLETIO.

N Eminem admirari uelim, si uitiosam ciborum, atque potuum facietatem, & malorum succorum simplici uerbo damnari dignoscet. Sanè cogor id fateri Galeni uerbo primo aphorismorum, commento tertio, ubi ait, cum enim uasa cibus, & potibus fuerint supramodum repleta, periculum est, ne dirumpantur, aut calor natiuus suffocetur, & extinguatur, Quo fit, cum in D. S. timor adsit ex multa facietate de ingenti capitis grauitate, & neruorum maiori cavitatum obstructione, adeo, ut eorum facultas animalis perdatur. Proinde D. S. uictus ratione seipsam parcè gubernet, peridoneum enim est paralyticis, & stupidis, nempe moderatè uentres inanire cogatur, aut cibi, & potus parsimonia, aut sensim cum purgatorii medicamento euacuatione. Vnde fiet, ut in sentiendo, mouendoque membra humorum abundantia non grauentur, quod facultati animali peridoneum. &c.

MEDICATIO PER POTIONEM.

C Vm iam à nobis ostensum sit, quali uictus ratione, Reuerendisimus Dominus uti debeat, Alterá rem nunc aggrediar. Quam morbi profligandi facultatem libro primo de sanitatis tutela Galenus appellat. Nempe quoniam
eius

eius morbus diutinus est, ut & plerique morbi longi, ob crassos, lentos, ac frigidos fiet humores. Quo fit, ut non facile concoqui possint, ut Galeni uerbum est, secundo aphorismorum, commento decimo nono. Quippe & in patientibus partibus impacti sunt, atque agglutinati, ita quod eorum dispositiones magis præ duris tumoribus, quàm inflammationibus assimilantur, ut Galenus eodem sensu in loco. Idcirco curationis modus affectionis D. S. Eadem medicari die, ueluti in acutis morbis, non expedit, non modo enim irrationalis, uerum & fallax, atque periculosus est, auctore Galeno primo aphorismorum, commento uigesimo secundo. Quo fit, ut sensim huiusmodi affectum medicari opere precium sit, tum altero die morbi causam concoquendo, tum concoctum deiciendo, ueluti edocuit nos Galenus, primo aphorismorum, commento uigesimo quarto, & secundo, commento nono.

Sanè igitur nullo porro ductus errore mihi suadeo. D. S. binis medicationibus per anni temporis spacium, medicari oportere. Vna uernali, altera uero autumnali tempore initiantibus. Quippè huiusmodi medicationes præcauentes erunt morbum, qui futurus est, atque curantes illum, qui iam imminet, ut præcauendi, at curandi morbum eodem scopo amplectar. At quia à doctis & peroptimè expertis D. S. medicis, tot & tanta morbi præsidia. D. S. oblata sunt, tum ad morbi initium, tum ad eius processum, mente reposita, ut ferè in morbi D. S. profligatione nihil remanserit, super quod, & ratiocinari, & experiri possim. Attamen, ut boni, & pleni coqui fungar officio, pro huius Reuerendissimi Domini benèmerita sanitate: sic loquar.

Initio igitur ueris pereunte D. S. medicamentis purgari iubeo, porro purgationibus peridoneum id tempus est, auctore Gale. in libro de sanguinis missione. Verùm quoniàm Hipp. nos edocuit. ii. aphorismorum, com. IX. & Galenus. I. aphorismorum, com. XXIII. Vbi uidelicet quis corpora pur-

C O N S I L I V M

gare uoluerit, oportet fluida facere, mihi nempe assuetudo est fluidum in primis corpus efficere, medicamento à latioribus uis excrementa eiciente, ne à prauis eorum flatibus principalium uires offendantur, atque hæ imbecilliores effectæ proximam morbi causam, consocio adhuc calore concoquere nequeant, Demum & id quotidianis forbitionibus exequor, quibus paralysis, uel stuporis causa concoquitur, atque animalia membra corroborantur.

Primum igitur deuoret D. S. uesperis, priusquã uentriculum impleat, quod sequitur:

Floridæ cassiæ recenter eductæ drachmas decem accipito, betonicæ in subtilem puluerem ductæ drachmam unã, & mediam, & misceto, & bolum conficito, & uorandum dato.

Altero uero succedente die, priusquã solis ortus ad nos pertingat, antidotum hanc admodum commodam, atque septem non intermittentibus diebus epotam, ac tepidam tribues: crassos nempe, ac glutinosos, frigidosque humores concoquit, attenuat, & disrumpit, Quippe & obstructa neruorum orificia aperit, & hoc sentiendi, & mouendi facultatem admodum iuuat. &c.

S Y R V P V S.

Recip. Radicum acori, stæcados, herbæ paralysis, fatu-
reia, maioranæ, saluiæ, camedryos, chamepityos, calamenti, mentastri, origani, de quolibet quantum manus capere potest, ex his sufficienter coctis cum melle fiat syrupus. Demum cinnamomi, gariophyllorum, cubebarum, nucis myristicæ, sem. pæoniæ, piperis nigri, piperis longi, calami aromatici, croci, spicæ, anisorum drachmam, unam accipito, & in subtilem puluerem conducito, ac in panno lineo raro ligato, & cum syrupo ebulito, & forti pressione colato, Eo igitur sic utere. Syrupi dicti unciam unam & mediam accipito. Syrupi rosati unciam mediam cum aquis saluiæ, betonicæ, boraginis, de qualibet unciam unã permisceto,

permisceto, & potandum dato.

Sed ubi alius adstricta esset, his diebus, quibus morbi causa concoquitur quotidiano utatur clysteri, uacuo uentriculo.

CLYSTERE.

Mercurialis, malua, uiole purpurea, beta, centaurea minoris, furfuris crassi, Manipul. i. corticum agarici in lineo panno ligatarum unciam mediam accipito, ebulli toque. Decocti uncias decem sumito, illi addito olei rutaeci uncias tres, mellis rosati, uncias duas, uitellum oui unum, de sale, & zuccharo quo ad expedit, & clysterium imponatur.

Cæterum octaua die sanè indiciis concoctionis apparentibus priusquã nox è tenebris ad lucem uertatur, tali medicamento purgetur. &c.

PVRGATORIUM.

Recip. Acori, stæcados arabici, unciam unam, passularum, radicum fœniculi, petroselini, de quolibet unciam mediam, centaurea minoris. Hermodactilorum, de quolibet drachmas tres, colocynthidos, drachmas duas, agarici unciam mediam, Turbith drachmas duas, scamonea correctæ, scropulos quattuor, piperis longi, de quolibet drachmam mediam. Reubarbari drachmas duas, & cum melle quod sufficit, arte non errante, conducatur electuarium.

Vtere sic. Diacatholiconis drachmas sex, electuarii rosati mesue, drachmam unam, electuarii dicti drachmas duas, accipito, & in aqua coctionis hyssopi, saluia, & rosarum omnia eliquato, & potui dato.

Eo porrò die, uictu regatur, madidi panis in pullæ iufculo decoctionis hyssopi, & saluia, modicumq; pullæ carnis esitando, mane, atque uesperis.

Cæterum eo temporis interuallo, quo totum uernale tempus finietur, duobus cuiuslibet septimanae diebus ua-

301
 cuo uentriculo iuberem D. S. ingredi balneum sequens. &c

BALNEVM.

B Etonicam, iuam, saluiam, hyssopum, sampfucum, calamentum, stæcadem, chamæmelum, rosmarinum, pæoniam, de quolibet manipulos duos, accipito, canem rubeum pinguem infra annum, excorticatum, & euisceratum unum. Sulphuris uiui uncias quattuor sumito, ac unam omnia simul in oleo comuni imposito, talis nempe quantitatis oleum sit, ut cane cocto ad carniū consumptionem, olei residuum pro balneo expediens sit.

Cum uero D. S. balneum exierit calidum, confestim tota dorsi spina, & omnes læsæ partes dextræ succedente unguento ungantur. Et uulpina pelle D. S. inuoluta lectum ingrediatur calidum, spacio temporis trium horarum. Dum immediatè cum exit balneum, sequentem bolum ingurgitet. Mitridati, drachmam unam, zucchari rosati, drachmam unam, & mediam accipito, & bolum facito. De mum cum exit lectum non ad saturitatem edat, bibatq; & cet.

VNGVENTVM.

A nserem unum uiuum, super annos duos, depilatum, euisceratum, interius uè lotum cum uino meraciore, accipito, In cuius aluo mediam uulpem pinguem, excorticatam, & medium gallum utrumque cum ossibus ultimo tritum imposito. Quibus adde terbentinae unciam unam, serapini, resinæ pini, castorei de quolibet unciam mediam, bdelii unciam unam, & mediam. Vermium terrestrium exsiccatorem unciam unam, saluiæ domesticæ, rorismarini, granorum iuniperi, de quolibet manipulum unum, omnia quippe hæc in Anseris aluo suantur, & in ueru coquantur apud ignem ex lignis lauri, iuniperi, cupressi, & uitis. Quod primo exhibit aqua est, projiciatur, residuum uero colligatur, & ex eo cum
 cera

cæra citrina quo ad expedit, unguentum molle conficito,
& usui seruato.

Nempe consulo D. S. temporibus, quibus his medica-
mentis subiicitur, perutile sibi erit, si bis in mense ante di-
luculum sorbeat quod sequitur.

Ellectuarii iam scripti, drachmas duas, & mediam acci-
pito, id solue in aqua calida, & dato.

BALNEA.

Nempe uenio interrogandus, si priusquã tempus uer-
nale terminum suum possideat, nonnullæ in Italia
thermæ D. S. idoneæ sint. Huic dicere auderem, si præce-
ptis salutaribus Galeni, & Auicennæ assentire cupiam.
Quæ ex naturali minera sulphurea aquæ scaturiunt, indu-
bitato ei peridoneæ sunt, quippe his exquisitè peractis,
illis uerò seruatis, quæ ipsi, & simili aquæ obseruiunt,
congruuntque. Igitur intrepida fronte iubeo, priusquam
uernale tempus a nobis effugiat D. S. huiuscemodi sul-
phureas thermas aggredi, ob crassos, & glutinosos hu-
mores in cauis neruorum obseratos, quorum exquisitum
remedium est eos destruere, & consumere. Porro hoc fit
per attenuantia, & abstergentia medicamenta, atque ex-
siccantia, auctore Galeno septimo, de compo. med. s. l.
capite tertio. Quale est sulphur, ut dixit Galenus nono,
simplicium medicamentorum. Ob quam rem, quæ sul-
phuris uires sapiunt, medicamenta D. S. peridonea esse
non ambigo. Verum & si thermæ aluminis, atque nitri
salisque quadam facultate pollerent. Dum earum sulphu-
ris potentia uigeat, eas indubitato paralyticis conuenire
fateor. Quibus crassæ, atque abundantis humiditatis ex-
siccatio, salutare remedium existit. Quippe & hæc exsic-
cante ui maximè pollent, ex Galeno quarto, de compo-
sitione medicamentorum per genera, capite primo, & ter-
tio, capite secundo, & Auicenna secundo, canone, capite
quinquagesimo nono.

Nempe

C O N S I L I V M

Nempe non dico epotam thermarum aquam. D. S. iuuamentum præstare, ob id, quod de super fluxione promotâ, totius corporis membra grauari poterunt. Cum ea aqua cerebri pituitosas humiditates attenuans, eas fluxioni magis aptas parabit, Quippe & iecoris caliditate conso-
cia, quæ ex aquæ caliditate aucta, tanget cerebrum, atque fluxioni incrementum addens.

Verum eam aquam ad contexturam coronalem ab alto cadentem ualentius suscipere iubeo. Quo fit, ut fluxioni fouenti, quod iam uetustum est, salutare remedium conducatur. Eo enim occursum quod frigidum est, calido alterabitur, & concoquetur, quod crassum attenuabitur, atque capitis uires roborabuntur, ut pituitosum humorem non progignant, procreatumque soluant, Quo fit, ut a fluxione animalis facultatis organa libera, non grauentur. Qualia sunt balnea de Abano, & Sanctæ Helenæ Patauina. At nempe lutosa balnea, orthonensia Patauina, post embrocham ualentius cõferre proculdubio asseuero, cum ex aperta eorum temperatura, ac experientia comper-
tum sit admodum ualere.

In comitatu Lucano Balnea de Corseno peroptima sunt. In comitatu Senensi Balnea Pitrioli, Balnea Sancti Philippi, mirabile attulerunt iuuamentum, non modo ad D. S. morbum principalem, uerum & ad colicas affectiones, quas D. S. pati assucta est, Quarum causam arbitror esse spiritum flatuosum, à pituita desuper defluente ortum, quæ imbecilli uentriculi, ac alui facultate in ipsum flatuosum spiritum facile uertitur.

Ob errata, quæ in uictus ratione contingunt, non modo morbi fiunt, uerum & a temporibus, quorum naturæ, atque mutationes morborum naturis affines sunt, ut dixit Galenus tertio aphorismorum, commento decimo nono. Igitur, cum hyberno tempore cerebri affectiones uigere soleant, auctore Hippocrate tertio aphorismorum

uige.

uigesimo tertio. Non ab re autumno procedente D. S. ex integro purgatoriis uti medicamentis, ut ab initio curationis exposui facile iuberem. Quam ob rem, cum autumni tempus aderit, eam septenis inscriptis forbitionibus haudquaquã intermittente die, priusquã nobis sol eluce-
scat, uti uelim, &c.

S Y R V P V S .

Syrupi iam dicti unciam unam, oximellitis, mellis rosati colati, unciam mediam accipito, quibus permisce-
to aquæ chamæpythios, saluiæ, hyssopi, de qualibet un-
ciam unam, & potui dato. &c.

P V R G A T O R I V M .

CAeterum cum coctionis indicia apparuerint, sic pur-
gato. Ellectuarii ante scripti drachmas duas, ellectua-
rii indi maioris drachmam unam. Diacatholiconis, drach-
mas sex accipito, ac cum aqua coctionis saluiæ, hyssopi,
betonicæ, & maioranæ potum conficito, & ante lucem
exhibeto.

Hyberno nempe tempore procedente, quod experien-
tia frequentius didici, id D. S. salutare præsidium esse non
ambigo: uidelicet si octo dierum temporis interuallo. Te-
rebintinam bis assumpserit non impleto uentriculo D. S.
mensura quattuor sit drachmarum. Didici hoc à Galeno,
libro quinto, de tuenda sanitate ubi ait. Similiter & tere-
binthi resina, sumitur autem ea aliquando nucis ponticæ
magnitudine, aliquando duarum triumue, Quippe non
modo aluum soluere citra noxam potest, sed etiam uisce-
ra omnia, iecur, lienem, renes pulmonemque abstergere.

Quod autem mihi familiare auxilium in paralyti, stu-
pore, neruorum mollitie, ac in præcauendo à casu in epi-
lepsiam, & apoplexiam, est, si quolibet mane patiens uta-
tur, & uesperis aqua, quam modo describimus.

Radicum acori lib. ii. præoniæ libram mediam. Galangæ,
zedoarii, de quolibet unciam unam, & mediam, chamæpy-
thios,

thios, centaureæ minoris, saluiæ domesticæ, maioranæ, stæ-
 cados, betonica, roris marini, pulegii, calamenti, polypodii,
 polii, folii, de quolibet manipulum unum, rosarum rubea-
 rum, granorum mirthi, de quolibet manipulum mediū,
 omnia hæc crasso modo terantur, atque in libris ducen-
 tum uini albi potentis, & odoriferi infundantur spacio tē-
 poris dierum trium. Demum uinum coletur, uiolenta, &
 forti facta expressione. Cæterum uinū in alembico uitreo
 ponatur, & distilletur aqua, cui addere debes nucis myri-
 sticæ, macis, gariophyllorum, cinnamomi, de quolibet cras-
 so modo rupto uncias duas, trahe moram per diem natu-
 ralem, demum iteratō per alembicum distilla aquam, &
 tertio, quarto, & quinto, usque ad nonam distillationem,
 eandem distillabis aquam, remanenti uerō aquæ, nona di-
 stillatione peracta, permisceto, foliorum auri numero cen-
 tum, foliorum argenti optimi, numero quinquaginta, om-
 nium fragmentorum, de quolibet, drachmas duas, marga-
 ritarum, unciam mediam, omnia terenda in subtilissimū
 conduces puluerem, & iteratō uicibus duabus eandem di-
 stillabis aquam. Ultimo uerō distillatam cum mosco, &
 ambra aromatizabis, & sic diuinum elysir uitæ ex mei offi-
 cina habebis, cui uolo. D. S. tantam adhibere fidem, ut om-
 nino ab ea sanari habeat, & a futuro longè deteriore casu
 prohiberi.

Modus usus elysir uitæ est, manè & uesperis, priusquam
 uentrem impleat, diluat sibi cum modica illius quantita-
 te totam dorsi spinam, a prima colli uertebra initium ca-
 piendo, demum totam partem læsam, parcè diluendo
 procedat.

Præterea per tres, ante cibum matutinum horas sorbeat
 potum hunc. Aquæ saluiæ, aquæ endiuia, de quolibet un-
 ciam mediam, Elysir uitæ guttas quinque misce, & potui
 dato. & cet.

Postremo uenirem ego interrogandus, si quippe his,
 quæ

quæ prædiximus, nullum apertè iuuamentum laboranti succedat, an aliquam illius corporis particulam urere idoneum sit.

Neminem ambigere uellem opus illud, quod urendo manu posita à nobis efficitur, postremum medicinæ prisci appellitant. Porro igitur si his, quæ in uictus ratione præcedente sermone conscripta sunt, nullum D.S. præsidium palàm concapescat, minusque his medicamentorum potionibus indubitato iubeo duas, uel alteram earum particulas urere peridoneum fore. Quippe sit prima ustio in contextura coronali fabricata. Altera porro circa primam, uel secundam colli uertebam. Adde quod à me expertum, & peridoneum inuentum est, si deorsum in cruribus à genu sanè distanter spacio digitorum quinque, inter duos illius musculos, cauterium conducatur, Nempe his humores qui neruofas partes occupant ad exteriora deriuantur, atque euacuantur. Intrepida igitur mente hortor, admonéoque D. S. huiuscemodi medicamento fatigari debere ob eius utilitates, atque laudes, quas ei Galenus sexto Epidimiarum libro, & Auicenna quarta primi concessere.

Ad illius bene merentis gloriam, qui nos gubernat, & custodit. & cet

FINIS.

Benedictus Victorius Fauentinus, sic dixit: An

no Christi M. D. XXXV. Die

tertia Februarii ex Gym-

nasio Patauino.



EE

AD CATARRHVM, ET PODAGRAM,

Pro Reuerendissimo Domino Vorsio

Episcopo Aquensi,

Consilium XI.



Reuerendissimus Dominus Vorsius Natione Burgundus Sactæ Romanæ Ecclesiæ Episcopus Aquensis meritissimus, Cum totius sui corporis temperatura biliosa, ut illius habitudo corporis indicat, & epatis caliditate, cum subdominio siccitatis, & cum caliditate renum ei occurrente, atque cerebri calida, & humida temperie, unâ cum uentriculi frigida, & humida natura forte mala pluribus corripitur affectionibus, quibus si ipsum corpus nolueris dicere ægrum, certè corpus sanum culpate ipsum appellare poteris. Quo fit, ut Reuerenda sua Dominatio, propter aptitudinem quâ tenet, ut facile cadat in morbum, plus nunc eget præseruatione à futuris morbis, quàm præsentium morborum curatione. Nos autem arte nostra ipsum præseruabimus ne cadat, & si forte fortuna in sibi assuetos morbos ceciderit, eum dei gratia optimis & salutaribus præsiidiis subleuabimus.

Corripitur igitur primo Dominatio sua Reuerendissima catarrho, quoniam defluxu tenetur multorum humorum per foramina palati, qui descendentes subiecta loca malè afficiunt, ut ait Galenus, in libro de diffinitionibus medicis. Dixit quoque Galenus quarto aphorismorum, commento trigesimo secundo, à capite defluxiones, cum ad aliquam particulam decumbunt, dolorem efficere, ob has igitur à capite defluxiones; non debet admirari Dominatio sua, si in pluribus sui corporis mēbris dolor perficiatur. Corpora enim catarrhosa prona sunt ferè ad omnia morborum

morborum genera, secundum quod in uariis membris catarrhus ille decumbit, nam si ad nasum, & in eo firmetur, facit pustulas in eo, & ulcera, & polypum. si uero ad oculos, lachrimas, pruriginem, ruborem, ophthalmiam, & alias oculorum ægri tudines, ut expositulat natura, & qualitas materiæ fluentis. Si ad aures, surditatem, & fortem progignit dolorem, si ad maxillas, dolorem dentium, apostema, & inflationem conducit, si ad linguam, inflationem in ea, & paraly sim facit. Si ad Vuulam, inflationem, & apostema. Si ad iuncturas, omnes species podagrarum, & artetici doloris admouet, & sic omnium aliorum membrorum, genera morborum facit, secundum quod in illis fluxio decumbit a capite. Sermonem istum habeo a Galeno tertio, de symptomatum causis, capite quarto, & in libro de inæquali intemperie, & in sexto, de tuenda sanitate, & secundum quod capitis intemperamentum quantum, & quale fuerit, eius fluxio ad subiecta membra, tanta, & talis erit, quo fit, ut fluxio affligat subiecta membra & quantitate sui, atque qualitate, quâtitate quidē ut in maiore molem reddat membrum, qualitate autē, ut ipsum efficiat calidius, uel frigidius. Cū intēperies capitis suæ Dñationis ad maius humidum declinet, quam ad calidum, hoc ideo erit, ut maior fluxio ad subiecta membra fiat, & in illis causabitur dolor gra uans a superabundanti humido, & punctorius, minor tamen ob capitis temperamentum minus fore calidum, quā humidum. Non erit igitur caput D. S. oppressum catarrho simpliciter calido, & acuto, propter humidum abundans, acumen caloris ebetans, atque obtundens, & non erit simpliciter frigidus ob eius temperaturam calidam, & duorum membrorum principalium epatis scilicet & cordis a quibus etiam comunicatur caliditas cerebro, & eius superfluitates quid caloris ab eo recipiant, aliquid ergo frigiditatis in natura cerebrum obtinet, quoniam plus humidum, & dixit Princeps doctrina de complexionibus. Et Galenus

in libro suorum elementorum, & secundo de temperaturis, quod humiditas magis, quam oportet associat sibi frigiditatem maiorem, certè igitur suæ Dominationis cerebrum magis calidum est, quàm frigidum, quoniam frigiditatem habet, non per sui naturam, sed per humidum abundans, & propter hoc eius catarrhus commixtus erit ex calido & frigido, calido quidem in tenuioribus eius partibus, quæ sedem habent in superficie catarrhi, hoc enim exemplo in S. D. ostendimus. Tenetur enim aliquando ardore, & pruritu, & mordacitate palati & partium gulæ: ii namq̃ effectus caloris sunt, & quoniam sunt in superficie patientium mēbrorum, significatur tenues partes catarrhi, quæ sunt in eius superficie, calore fore affectas. Idem quoque cognouimus, Dum Dominatio sua corripitur dolore artuum, ubi in his, superficietenus apparet rubedo cum calore, & in intimis eorum grauedo & tumor apparent, quæ tunc persistunt, iam abolito calore, & rubore. Indicat autē hoc materiam facientem tumorem, & grauedinem frigidam fore, & in intimis membri reclusam, Quo fit, ut catarrhus D. S. intrinsecus habeat partes frigidas, in superficie uerò calidas, & non sperno idem quoad diuersa calidum esse, & frigidum.

Nempe D. S. catarrhus tria causarum genera obtinet, uidelicet, genus causæ procatharticæ, & præcedentis, & continentis. Procatharticæ quidem, quam primitiuam causam dicunt neoterici, & est indebita uictus ratio in omnibus rebus, quibus de necessitate nostra corpora alterantur, ut dixit Galenus, tertio artis medicinalis, ut aer, & quæ ei annectuntur, ab aere enim necessario mutatur corpus nostrum, & intus, & extra, ut in de tuenda sanitate dixit Galenus, Ab aere quidem calido capitis humiditates colliquantur, & earum fluxio præparatur ad subiecta membra, ut quinto aphorism. dixit Galenus, cui annectitur uentus calidus, ut australis, & multum capitis cooperimentum, quibus aper-
riuntur

riuntur pori capitis, ut illius natiuus calor cum spiritibus exhalatis debilitetur, & capitis natura ob hoc facta imbecillis, non ualet superfluas capitis humiditates resoluerere, quo fit, ut illæ ab opere naturæ derelictæ irruant ad subiecta membra, & in illis decumbant. Idem quoque fit à frigido aere, uel à uento septentrionali, à quibus, compressione facta in cerebro, exprimuntur humiditates illius irruentes ad membra subiecta, ut ait Galenus sexto, de tuenda sanitate, & quinto aphorismorum. Et huic annectitur ex longa mora tenere caput detectum. Puto certè caput D. S. pluries his causis fuisse subiectum. Tum quoniam D. S. plures æui partes atque regiones diuersarum intemperierum absq; ullo sui commodo peragrauit. Tum ut audio ipsum cum summo Pontifice negociando longam capite detecto trahere moram, à quibus frigido uel calido lædente eius cerebrum facile D. S. potuit incurrere catarrhum. Præcedentes uerò causæ catarrhi D. S. sunt, quæ intrinsecus aptæ sunt lædere cerebrum, ueluti si cerebri temperatura calida, & humida, quoniam calida est, fit attractio multorum uaporum ad cerebrum, qui in humiditas superfluitates conuersi facile multiplicant cerebri fluxiones. Quoniam uerò plus humida est eius cerebri temperatura, continuo maiorem humiditatis gradum adgenerare poterit, & maior tunc fiet fluxio, seu catarrhus.

Altera uero causa præcedens fluxionis D. S. fuit indebita uictus ratio cibi, & potus. Cibi quidem, & sua multitudine repletionem ducentes, cuiusuis naturæ fuerint, à multa enim repletionem uentriculi multi progignuntur uapores, à quibus cerebrum fit humidius, & superfluitatibus magis grauatum, & inde illius facultas retentrix facta imbecillior, ab opere suo derelinquit illas superfluitates, quæ ad subiecta membra fluunt. Cibi quoque sua abundantia
qualitate

qualitate affecti calida scilicet, uel frigida, & nimium humida promouerunt fluxionem D. S. calida quidem aliquando, & frigida, humiditas superfluitates progignendo. cum enim uentriculus cibis nimis frigidis admodum repletus fuerit, eius facultas concoctrix fit imbecillior, a frigido enim concoctio corrumpitur, ut dixit Galenus secundo de facultatibus naturalibus, & Princeps Doctrina sexta primi canonis. Ex concoctione, autem diminuta uentriculi multiplicantur uapores ad cerebrum in stomacho relictis multis superfluitatibus, quo fit, ut fluxio concreascet. Cibi quoque admodum humidi fluxionem a cerebro conducunt, in quibus, audio. D. S. satis delectari, omnes enim tales in uentriculo suo humido abundantes ebetant illius facultatem concoctricem, ut crudis superfluitatibus in eo multiplicatis, uapores multi eleuentur ad cerebrum, & fluxionem admoueant. Potus quoque uini potentis: quonia uinum forte plurimum uaporosum est, etiam plurimum caput replet, & fluxiones excitat. Causa uero continens catarrhi D. S. una quippe est presentia materiae in capite circa cerebrum, & eius uelamina una cum presentia uaporum illic incrassatorum, quae omnia a calido cerebri eliquata catarrhum inducunt. Altera uero causa est fortitudo facultatis expultricis, cui iuuamentum praestat intemperies humida cerebri. Tertia uero causa est imbecillitas facultatis retentricis adaucta per humidum cerebri D. S.

Præterea Dominatio sua Reuerendissima, altera mala corripitur affectione, qua præ ualido, & ingenti dolore, nedum particulae corporis languidae fiunt, uerum & spiritus & tota natura corporis tristantur atque labefactantur. Est autem affectio in sua Reuerendissima Dominatione, circa pedem, quam podagram appellat, & circa manum, quam chiragram nuncupant, & eae affectiones sunt de genere morbi articularis, ut dixit Galenus sexto aphorismorum, quinquagesimo quinto, quem arthritidem morbum appellat

pellat Galenus decimo, de compositione medicamentorum secundum locos. Dixit enim morbus, qui omnes occupat articulos arthritidis dicitur, cum uero in uno decumbit articulo, ex nomine articuli morbum illum nominant, ut ischiada, qui iuxta coxendicem fit, coxendicum morbum appellant. Qui uero iuxta pedem, morbum dicunt podagricum, ille uero, qui manum opprimit, chyragram nominant. Incipit enim plerumque in uno articulo podagræ generatio, & diuturnitate temporis in omnes articulos progreditur, & ut ex Galeno eodem decimo, de compo. med. s. l. & primo aphorismorum collegi huius progressus causam esse, uel malam uictus rationem, uel ægro tantis inobedientiam, uel asfidendum ignauiam, uel medici ignorantiam. Et eundem sermonem, dixit Galenus sexto aphorismorum, commento. XLIX.

Nempe causæ procatharticæ horum morborum, qui, ut diximus sunt ex genere morbi articularis in D. S. Reuerendissima fuerunt, uel nimia caliditas extrinsecus ei contingens, quæ dissoluens humiditates nedum capitis, uerum & totius corporis eas præparans ad fluxiones, & fluerefaciens: uel potuit esse ingens algor, qui ab extra in corpus illius prorumpens, & præsertim in capite ipsum adstringens, fluere iam effecit, ab eo superfluitates ad membra subiecta, & idem attingens alias corporis partes humiditates in illis congelans, & eas debilitans, tum extensione artuum dolorem progignit, tum eorum debilitate ob quam magis ad eos fluunt humores, & extendendo dolorem inducunt, & idem potuit fecisse nimius labor, & superfluum exercitiū, & totius corporis multa fatigatio: Audio enim D. S. Reuerendissimam multas mundi partes decurrisse, ob quam rem passa est laborem, & totius corporis fatigationem, quibus dissolutæ fuerunt sui corporis humiditates, facile ad subiecta membra fluxibiles in eis dolores progignentes. Sanè enim ob articularum imbecillitatem

becillitatem ex nimio motu progenitam, ad eos facile currunt humores, qui soluendo continuum, dolorem faciunt. Alteram quoque causam procatharticam puto fuisse, Diuturnum usum ciborum multam pituitam adgeneratum, ut dixit Galenus, decimo de compositione medicamentorum secundum locos, ubi ait, aliquando quidem igitur irruens humor sanguineus est, ut plurimum uero pituitosus, aut ex pituitoso, & bilioso humore mixtus, ut sunt fructus recentes, & pisces, & quaecunque alia edulia, quæ aspectum habent ad podagram progignendam, aliosque artuum morbos, ut sunt porci iuuenes & pingues, & uniuersaliter tota caro suilla, & anserum pulli, & anseres, & omnes aues habitantes in aquis, & omnes pisces sine squamis, & anguilla, & omnes pisces grandiores.

Præcedentes uero causæ doloris articulorum. D. S. Reuerendissimæ assumuntur à dispositionibus temporum, uel à uictus ratione præcedente, si enim est temporis constitutio calida, & usa fuerit D. S. regimine calido, tunc dico complexionem calidam iuncturis D. S. acquisitam, tum merito constitutionis anni temporum, tum merito usus calidi uictus esse præcedentem causam doloris artuum in D. S. Reuerendissima, attrahit enim calida iuncturarum intemperies, humores ad ipsas, qua completa attractione circumsitæ neruosæ particulæ tenduntur, & dolores oriuntur, si autem regimen iam præteritum, & temporis constitutio frigida fuerint: Tunc mala complexio frigida in iuncturis existens, dicitur causa præcedens doloris arthritici D. S. Ipsa enim intemperies artuum frigida mortificat eorum natium calorem, Quo fit, ut debilitentur, & sensim in his superfluitates accumulentur, & dolorem progignant. Alteram causam præcedentem puto in D. S. abundantem plenitudinem malorum humorum ex immodica uictus ratione, eorum maximè, quæ cibo & potu assumuntur, ueluti est sanguis multus in articulis accumulatus,

latus, uel ut secundum plurimum est, abundantia pituitæ ad articulos irruentis, quæ uel sola, uel bili permixta iuncturas replet, & extendit, a' atra bile idem contingere poterit, rarò tamen ob inobedientiam fluxionis ex terrea eius substantia. Hoc habetur a' Galeno decimo, de compositione medicamentorum secundum locos. Similiter ocium, & nimia quies, debilitando maximè secundam, & tertiam digestionem, quo fit, ut multiplicent multum de pituita, quæ fluens ad pedes podagram inducit, & arthritidem, cum ad alios omnes fluit articulos. Sententiam hanc uoluit Galenus, sexto aphorismorum, commento uigesimo octauo, & nimius uenereorum usus. Et hoc exemplo patefacimus, quoniam Eunuchi podagra non laborant. Et dixit Hippocrates, sexto aphorismorum, aphorismo, tertio. Puer podagra non laborat, ante usum uenereorum. Et uina potentia bibere, præsertim cum quis ea ieiunus potauerit, Hæc enim sicut coitus neruosam substantiam promptissimè offendunt, ut ait Galenus. Retentio quoque consuetæ euacuationis facile præcedit podagræ generationem, hoc notat Galenus, sexto aphorismorum, commento quadragesimo septimo. Cui addo, quod aspernere euacuationem temporibus opportunis humorum podagram facientium, nolle quoque medicis obtemperare, eosdem humores purgare uolentibus, cum eorum expedit purgatio, est de his, quæ promouent podagram, & est in eadem causa, dimissio exercitii consueti, & superfluum, atque inordinatum exercitium, artus debilitando, & corporis humiditates eliquando, quæ facile fluxibiles ad articulos faciunt, in quibus decumbentes extendendo, dolorem excitant, & perficiunt, auctore Galeno, quarto aphorismorum, commento. XXXII. Altera causa præcedens potuit esse, ut ait Galenus, sexto aphorismorum, cõmento uigesimo octauo. Vitium seminis Patris uel Aui, ait enim Galenus. Accedit ad has

causas, ob quas plerique incidunt in Podagras, quod multi & Patres & Auos habuere podagricos, in quibus semen erat uitiatum, atque ideo filiis uehementiorem fecerunt partium imbecillitatem.

Causæ uero, quas continentes appellauit Galenus, septimo aphorismorum, commento trigesimo, Podagræ, & doloris arthritici D. S. Reuerendissimæ sunt, Humores iam defluxi & decumbentes in articulis, quibus circumstantia particulae neruosa tenduntur, Et ex his dolor oritur.

Hanc quippe causam, Dixit Galenus sexto aphorismorum, commento quadragesimo nono. Vbi ait. Hanc autem fluxionem suscipiunt quidem primum loca articulationum. Deinceps circumstantia omnia usque ad cutem, & post ait.

Nam discutiatur oportet id, quod ad pedes fluxerit. &c. Id autem quod ad articulos defluxit, sui quantitate soluendo continuum, & sui qualitate intemperiem inducendo, dolorem gignit, eæ enim sunt duæ causæ doloris, quas nominauit Galenus, secundo artis medicinalis. Et Auicenna secunda. fen. primi capite. De causis doloris.

Verum enim uero non miretur quispiam, si indicia morborum significatiua, & demonstratiua Reuerendissimæ D. S. nunc sub silentio pertranseo, quoniam mihi plus expedit, & clarius, in his, quæ eorum morborum curam decernuntur ea inserere, quàm in his superflue nunc sermonem in longum trahere. Quoniam autem prædictiones in morbis magna afferunt commoda in modo curationis morborum, ut ait Galenus, in primo de ratione uictus in acutis, commento tertio, ob hoc ex Galeni præcepto atque Hippocratis primo prædictionum libro, in morbis D. S. prædictiones afferam, quibus medicus admoueat, ut acceleret curam, & à deteriori casu ægrum defenset, & pateriens se medico obedientem reddat, & eius operibus sollicitè submittatur.

Quapropter

Quapropter primo, in catarrho. Demum uero in dolore arthritico D. S. Prædictiones enunciabo. Et dico primo. Nisi catarrho correptus, optima utatur uictus ratione, in sex rebus, à quibus nostra corpora necessario alterantur, sic à Galeno dictæ in tertio, tegni.

Et ab Auicenna nominatæ res non naturales, Quæ scuti sunt neoterici scriptores, facile in cuiusque particula corporis molestum dolorem pati poterit: siue fuerint de interioribus corporis membris uel exterioribus. Dixit hoc Galenus, quarto aphorismorum, commento trigesimo secundo. Et ratio huius est, quoniam catarrhus defluxio est à superioribus ad subiecta membra. Quod si forte fortuna in aliqua corporis particula firmetur, in eadem tenendo neruofas partes, dolorem perficiet, & in eadem etiam dolorem subiunget, si sola intemperies ipsam afficiat, ut ait Galenus, secundo artis medicæ.

Dico secundo. Catarrho qui tenentur, caueant, ne in stuporem uel paralyfim partis dextræ uel sinistræ incurrant. Vbi uero quis in utriusque partis corporis paralyfim ceciderit, morte morietur, hoc dixit Galenus, tertio aphorismorum, commento duodecimo.

Dico tertio. Corpora quæcunque catarrho molestantur in magno sunt constituta naufragio. Dixit hoc Galenus, in sexto de tuenda sanitate, causa est, quoniam ea prona sunt ad casum in omne genus morborum secundum quod defluxio in omnibus membris decumbere potest.

Dico quarto. Catarrhi in homine calidæ temperaturæ & in causa, atque ætate, & tempore calidis, citiorem recipiunt curationem. Omnia enim hæc faciunt ad resolutionem materiæ catarrhi. Calidum enim rarum faciendo resoluit, frigidum uero densum, faciendo congelat, & materiam compingit, ut ait Arist. quarto metheororum, & Galenus, in primo de Crisibus dixit, calidum citius ad

crisim peruenire.

Et ob hoc dico quinto, quod corpora quæcunque catarrho opprimuntur, febre adueniente, alleuiatur catarrhus, quoniam febris est ignea caliditas, ut ait Galenus, primo aphorismorum, commento decimo sexto.

De prædictionibus ex catarrho satis diximus, de eis uerò ex podagra, & arthritide deinceps uideamus. Dico igitur primo. Quoniam in podagricis doloribus articulationes implentur, ut ait Galenus, sexto aphorismorum, commento quadragesimo quarto. Igitur time, ne post podagram arthritidis progignatur, consequentiam hanc uoluit Galenus, sexto aphorismorum, commento uigesimo octavo, ubi ait. Podagra præcedit morbum articulare.

Dico secundo. Medici non debent desperare curam podagræ & morbi articularis, quæ longo ante tempore hominem corripuere, & plus non debent aspernere curam earundem affectionum, quæ adhuc incipientes sunt, & nondum tophos circa iuncturas genuerunt. Quoniam nõ deest medico modus curationis utriusque & podagræ, scilicet, iam factæ ante, & nunc incipientis, & doloris arthritici, similiter sermonem istum, dixit Galenus, sexto aphorismorum, commento quadragesimo septimo, ubi ait. Nos itaque plurimos ita seruauimus annos, qui longo ante tempore singulis annis morbis capiebatur, atque podagram, & morbum articulare, adhuc incipientem, & nondum tophos circa articulos facientem.

Dico tertio, quod inflammationes, & dolores podagrici terminum suæ integræ solutionis habet quadragesimū diem, si medicus in suo opere non aberrauerit, & æger illi in omnibus obedierit. Hanc sententiam uoluit Hippocrates, sexto aphorismorum, & huius rationem attulit Galenus, commento quadragesimo nono. Quoniam humores, qui in articulationibus sunt, per ligamenta ipsas amplexantia per modum uaporis oportet euacuari, & hoc opus, longiori

giori indiget tempore, quàm opus inflammationis in parte carnosa, est enim caro rarior, particulae uero, quae articulationes amplectuntur, duriores, spissioresque sunt, ob quam rem sicut partes carnosae sui raritate citius recipiunt, & circumscriptae nervosae partes iuncturis, tardius, merito sicut a carnosis partibus citius contingit euacuare humores, ita & a nervosis tardius, Quo fit, ut breuius occurrat tempus euacuationis humorum a parte carnosa, a nervosa uero longius. Et ob hoc Hippocrates terminum completae solutionis podagricis condonauit diem quadragesimum inflammatione sedata. Inflammationi uero in carnosis partibus decimum quartum, cum in his inflammatio, naturam sapiat morbi acuti, cuius iudicacionem in quarto decimo die statuit Hippocrates, secundo aphorismorum, uigesimo tertio,

Dico quarto. Qui podagrica tenentur affectione, ii a conuulsione sunt securi. Dixit hoc Galenus, sexto aphorismorum, commento quadragesimo nono. Quo fit, ut podagricus dicatur dolere, & non conuelli, & huius ratio est. Quoniam nervosae partes, quae iuncturas amplectantur una simul ob humores defluentes, atque in eis decumbentes, tenduntur. Tensio enim dolorem, & non conuulsionem progignit.

Dico quinto. Qui soliti sunt podagra, corripit, timeant uernum tempus, atque autumnale. quoniam podagrici dolores uere, & autumnis magna ex parte mouentur, sexto aphorismorum, quinquagesimo quinto, & tertio, uigesimo. Et huius rationem dixit Galenus, in commento quinquagesimo quinto, quoniam podagricae passiones excitantur aliquando autumnis iis, quibus per aetatem tempore quo fructus maturantur, uitiosi aliqui humores fuerint coaceruati, & ipsi sua quantitate immodica, uel qualitate mala, a fortioribus ad debilia fusi iuncturas offendunt. Excitantur quoque & uere his, qui hyberno tempore in
uictu.

uictu deliquerint fufis humoribus a' fortibus ad loca debilia detrufis.

Dico fexto. Qui podagra moleftantur, timeant tempora pluuiofa, maximè enim in his podagræ excitantur, & articulares dolores. Dictum hoc eft Hippocratis, tertio aphorifmorum decimo fexto, & rationem adduxit Galenus, in commento, quoniam in pluuiofis temporibus fluxiones, & potiffimum ex capite uenientes fuperabundât, quæ ad articulos decumbentes dolorem gignunt.

Dico feptimo. Vbi fenes podagram inciderint, uel morbum articulare, de eorum cura omnino desperari debêt. Dixit hoc Galenus, fecundo aphorifmorum, commento quadragefimo. Quoniam fenes ex ætatis imbecillitate diuturnum morbum fufferræ nequeunt, Quo fit, ut hi morbi longi fenes ipfos comitentur ad mortem. Et omnia morborum genera, quæ ex frigidis humoribus ortum habent, in fenibus non admittunt coctionem, & loquor de poftremis fenibus, quoniam uerè fenes hos morbi ifti comitantur ad mortem, Vbi uerò primi fenes eifdem morborum generibus corriperentur, adeo difficile actionem recipiunt, ut & ii morbi plurimùm fenes primos comitentur ad mortem. Dico tamen, quod primi fenes in uiridi fenefta confiftentes, qualis eft Reuerendiffimæ D. S. etfi difficile, poffunt tamen comitantiam illam aufugere, fi in optimis præfidiis, medicis obtemperauerint.

Dico octauo. Quicumque immodico ocio, atque uictui intemperato, fuperfluoque uenereorum ufui, & uini potetis potationi, & nimix crapulæ fubmittuntur, non tardè arthritides, & podagricas affectiones expectare debent. Hanc fententiam uoluit Galenus, fexto aphorifmorum, commento uigefimo octauo, quoniam omnia hæc neruofam fubftantiam promptiffimè offendunt.

Dico nono. Quicumque pedes imbecilliores natura habent, ii podagram expectare debent, hoc dixit Galenus, fe

xto aphorismorum, commento uigesimo octauo. Pedes autem imbecilliores esse nouimus ob difficultatem exercendi opera, in quæ pedes per naturam sunt ordinati, uel per defluxum superfluitatis ad eos, fluunt enim superfluitates semper ad debiliora loca recte operante natura, dico tamen, quod sola pedum debilitas podagram non conducit, sed fluentes humores requiruntur, certe nullo humore superfluo ad pedes adhuc imbecilles fluente, non gignetur podagra, quoniam non actuabitur potentia ad podagram, nisi humore superfluo in pedibus accumbente.

Dico decimo. Quicumque uel Patrem uel Auum podagrica affectione laborasse perceperint, proculdubio tempus perdurationis uitæ eorum, sine podagræ generatione nequaquam præteribunt. Nisi sapiens dominetur astris, & naturæ, quoniam etiam dispositus ad podagram, eius generationem uitare potest, totam hanc sententiam habes à Galeno, sexto aphorismorum, uigesimo octauo.

Dico undecimo. Qui podagra ex generatione paterna, uel auita laborant, non sanabuntur. Ex uitio enim seminis oritur hæc podagra, ut ait Galenus, ex quo mēbra neruosa genita sunt. Quòd si ea ab huiusmodi podagræ generatione defendi deberent, omnium rerum opificem oporteret, noua compagine, atque temperie ipsa de nouo facere, atque agglutinare. Propterea huius podagræ sanationem Deo optimo relinquamus. Ex arte autem nostra, eam desperemus: Quoniam medicus huius affectionis causam abolire nequit, cum à primis oriatur seminibus. Effectus uero eius, & ab ea prodeuntes, ueluti dolores, atque tumores, & malas qualitates facile tollere ut nunc poterit, Et ob hoc æger non perdet spem salutis, & confidentiam de medico.

Dico duodecimo. Si podagricis uarices superuenerint, soluitur in his podagra, quoniam fit materiæ, & humorum facientium podagram ad exteriores partes crurium deriuatio.

deriuatio. Colligitur hoc à Galeno, sexto aphorismorum, comméto uigesimo primo. Nempe dolores podagríci soluentur, quia elongatur causa doloris ab organo sensus, quod est neruus, & ob hoc.

Dico decimo tertio. Cum in podagra, & alio articulo- rum dolore, dolentia membra intumescunt, fit doloris solutio, Quoniam materia faciens dolorem deriuatur ad extra relinquens neruosas partes, quas offendendo, uel sua quantitate, uel sua mala qualitate dolorem progignebat.

Dico decimo quarto. Cui podagríci dolores diuturni fiunt, illi curatio inest difficilior, quoniam temporis diu- turnitate dolores fiunt consuetudinarii. Quo fit, cum ipsi facti habitus sint, difficile possunt amoueri, tum etiam quoniam consuetudo est natura acquisita, ut ait Galenus, secúdo de temperaturis, capite quarto, & quæ natura sunt, difficile tolli possunt.

Cum iam nos speculati simus morbos, quibus Domini mei Reuerendisimi Dominatio malè torquetur, uidelicet eorum essentiam, & eorum causas, atque iudicia, de eorum termino, ad salutem aut mortem, aut ad bonum uel malum, quæ multa afferunt commoda in modo curatio- nis eorum, ut dixit Galenus, in primo de uictus ratione in acutis, commento tertio. Nunc equidem ut seruemus Galeni præceptum, primo artis curatiuæ ad Glauconem, capi. primo, uidere oportet quantam, & qualem ii, curam habeant, igitur cum curationis morborum instrumenta tria scilicet uictus ratio: Medicinarum oblatio, & manuum operatio, ponantur à Galeno, in libro de partibus artis medicæ. Quorum nobilius, maximè necessarium est uictus ratio: ut ait Galenus ad finem libri suorum experimento- rum. Ideo in proposito negocio, prius quali uictus ratio- ne. D. S. uti habeat, ut morbi eius ad bonum, & optatum ducantur finem, sermonem faciam, ut inde clariorem ha- beamus uiam, & perfectiorem ad secundum, & tertium
instru

Instrumentum perficiendum.

Propterea igitur a uictus ratione loqui incipiam, qua si sola agrum curare poterimus, eam admodum prosperam inueniemus, ut dixit Rabi Moyse, & dixit Galenus, in libro introductio, seu medicus. Articulorum uitia uictus rationem probam desiderare. At quoniam in ratione uictus ueniunt sex res non naturales, quæ sunt a quibus de necessitate nostra corpora alterantur, ut ait Galenus, libro tertio artis medicinalis, quæ sunt aer cibus, & potus, somnus, & uigilia, motus, & quies, Inanitio & repletio, & animi accidentia. Primum de aere sermonem faciam: quoniam ab aere nostrum corpus alteratur magis, quam ab altera diætarum rerum, ut dixit Galenus tertio, tegni: tum etiam quia Aer de his est, sine quibus neque sanitas teneri potest, neque morbus propelli, ut primo de sanitate tuenda dixit Galenus. &c.

DE AERE.

AEr igitur D. S. Reuerendissimæ non sit admodum frigidus, sua enim excellenti frigiditate exprimendo fluxiones a capite mouet, ut ait Galenus, quinto aphorismorum, commento. XXIII. illius aphorismi, frigida qualis nix, & glacies. &c. Quæ fluxiones a capite irruentes ob debilitatem artuum ex continuo eorum motu, ad eos facile decubere possunt, ut hinc & inde in his dolores excitare ualeant, quos artuum dolores D. S. plerumque & repente incurere solet. Item caueat D. S. ab immodicæ frigiditatis aere, quoniã immodica frigiditas neruos, & particulas omnes neruofas promptissimè offendit, ut ait Galenus, quinto aphorismorum, commento decimo octauo, illius aphorismi. Frigidum inimicum ossibus, dentibus, neruis. &c. Quapropter cum Dominatio Sua apta sit pati in neruosis particulis corporis sui, quam, admodum ei contumacem censeo, frigiditatem ualidam, ipsa eam non sequatur neque in ea delectetur. Ob quam rem fugiat Dominatio S.

frigidas immodicè mansiones, quas aquilo, & boreas offendit, præsertim hyberno tempore. Aspernetur quoque D. S. longam moram in ualde frigidis urbibus, quoniam illius loci abundans frigiditas ei, & intra, & extra cõtumax est, quippe & fluxiones a capite excitans, & arthritim, atque podagram facile admouens. Quod si forte fortuna loca frigidissima D. S. peragrauerit, uti alpes, & loca niuosa, atque ubi plurimum aquilonis difflantis frigiditas contingit, muniat se caute uestibus, ne uehementi algore lædatur præsertim caput, & pedes, caput quippe, ne catarahi compressione moueantur, pedes autem ne podagram incurrat, & inde arthritidem. Prius enim fit podagra, & inde morbus articulorum, ut ait Galenus, sexto aphorismorum, commento trigesimo octauo, & quadragesimo nono. Sanè nequaquam aer D. S. uehementis sit æstus, ne quando totius corporis humiditates, præsertim in capite fluxiones præparet, in articulis decumbentes, & non sit aer illius humido abundantanti correptus, tum quoniam plenitudinem adauget præsertim in capite, quo fit, ut ipsa a natura cerebri derelicta ad artus irruat, & in ipsis decumbat, & eorum dolores progignat. Tum etiam quoniam ab abundantanti aeris humiditate artus laxantur, & facti imbecilles ad eos humiditates fluunt, doloremque in his excitant, & humidus aer contumax est podagricis affectionibus, quoniam humidum immodicum sensim associat sibi frigidum immodicum, sed quantum frigiditas inimica sit iuncturis palam fuit supra. Et quoniam omnia, quæ præter naturam disponuntur, a consimili suæ temperaturæ conseruantur, & crescunt: cum autem præsentia pituitæ, quæ frigida est, & humida, podagram inducat, ut ait Galenus, decimo, de compositione medicamentorum secundum locos, ideo ab abundantanti aeris humiditate conseruatione causæ, conseruabitur podagra concresetque.

Sit igitur aer, quem D. S. pro tutela sanitatis suæ desiderat,

derat, per naturam moderatè calidus, in siccitate uerò abundantior. Calidum enim moderatum neruosis membris utile & amicum, ut dicitur ab Hippocrate, quinto aphorismorum, siccum uerò causam podagræ propellit, & iuncturas a lassitudine defendit. Nec obstat quod dixit Hippocrates, tertio aphorismorum, commento decimo sexto, ubi ait. In siccitatibus autem tabes, lippitudines, dolores articulorum, quoniam per dolores articulorum noluit Hippocrates, arthritidem, uel podagram intelligere, sed difficultatem ad motum, propter consumptionem humiditatis articulorum ob siccitatem, ad quam & dolor sequi potest, sed ille proprie non est arthritidis dolor, uel podagra, & sic uoluit Hippocrates, in Epidemiarum libris, ubi famis tempore qui leguminibus uescebantur, infirma habebant crura, & qui eruum comedebant, genuum dolores patiebantur, non arthriticos, sed genua dolentes ipsos appellauit Hippocrates, ut ait Galenus, tertio aphorismorum commento decimo sexto.

Nempe si natura calidus, & siccus aer haberi non poterit eo uidelicet in loco, quo D. S. Reuerendissima moram trahit, aut hybernium affuerit tempus, leuibus aromatum suffitibus utatur, & considera quod dico leuibus, quoniam a fortibus caput admodum grauatur, ut ait Hippocrates, quinto aphorismorum uigesimo octauo. Quo fit, ut catarrhi, & fluxiones ad artus consurgant. At aromata sunt, cinnamomum, gariophyllum, nux myrtica, macis, ambra, lignum aloes, moscus, cortices citrii, mastix, thus, mirrha, ladanum, & talia. Nam si D. S. nocuum erit, quod ab aromatis de fumo exit, tunc sola aromatum præsentia in loco mansionis D. S. sit contentus, quod enim de odore solo ab aromatis diflat, caput roborat, & superfluitatem discutit, & consumit.

Vbi uerò prædictis aromatis ob eorum abundantem caliditatem uti timeret D. S. illis admisceat rosas, sanda-

los, uiolas, & camphoram, tunc enim illo commixto diflatu, ac odore caput fiet immune ab eliquatione superfluitatum, & grauedine, atque fluxione earum ad iuncturas, & propter hæc cauere debet D. S. a' uehementi flamma ignis, & a' forti calore quem capiti impartitur, ne quadam in eo humiditatum eliquatione facta, defluerent ad artus, & in eis dolorem excitarent.

Vbi autem ei pergratum fuerit lucidum ignem accendere, & potissimum hyberno tempore, ex lignis accendatur, quorum natura sit, crassos, ac glutinosos humores attenuare, & eos soluere, ueluti sunt ligna roris marini, iuniperi, lauri. Porro si ex ligno terebinti, uel terebintinam pro-gignente, uel ex ligno quod usitato uocabulo lignum laricis dicitur, ignis accedatur, proficius admodum hic erit ignis, ob illius naturam, quem comitatur dictæ facultates. Hortor enim. D. S. ut caput suum moderato muniat calido, est enim immodicus calor ei noxius, tum quoniam aliquando præparat fluxiones a' capite ad iuncturas, tum quia ab infernis corporis partibus sursum trahendo caput grauitat, immodica quoque frigiditas caput offendit, & exprimendo catarrhum excitat, & ad arthritidem præparat, auctore Galeno, quinto aphorismorum, commento uigesimo secundo, & uigesimo quarto. &c.

D E P A N E .

PAnis electio sit de tritico, quoniam triticum nedum apud omnes nationes frequentissimè, immo cum utilitate magna usurpatur, ut ait Galenus primo, de facultatibus alimentorum, capite secundo, & ex triticeis panibus D. S. peridoneus est ille, qui ex tritici simula conditus est, sincerissimus enim is panis est, naturalia non grauitans, non flatuosus, neque deorsum aluum replens, & peroptimè nutriens, ut ait Galenus. Sitque panis eius non admodum fermentatus, sui enim superfluenta aciditate noxius est cerebro, & neruis. Quippe neque omnino fermento ca-
reat,

reat, ob id Galeni uerbum, primo de potentiis alimentorum capite secundo, ubi ait. At qui omnino fermento caret, nemini prorsus erit accommodus. Nō sit eius panis salitus, quoniam sal infensum & noxium est, propter grauedinem, & potissimum in capite, ut ait Galenus secundo, de compositione medicamentorum secū dum locos. Sitq̄ eius Panis non admodum coctus, ut qui cruda, incoctaq̄ interiora habet, ambusta uerò obaridaque & crustacea exteriora. Ignis enim uis in totum panem nequit penetrare, ideoque illum non percoquit, maximè intimas partes. Dixit enim Galenus primo, alimentorum, capite secundo. Is enim deterrimus panis censendus est, & uentriculo inimicus, qui in crustaceis admodum aduritur, in intimis uerò incoctus relinquitur. Sit eius Panis recēs duorum dierum, neque ipsum edat calidum. Panis enim calidus non est apud naturam receptibilis, sitim facit, & natat propter suā uaporosam humiditatem cerebro intensam, ut ait Princeps secundo, canone. DLXXIII, &c.

DE VINO.

Cum sit omnis excessus fugiendus, maximè illum fugere expedit, ex quo non modo corpori, uerum etiam animo damnum accedit. Ob quam rem, cum D. S. Reuerendissimæ corpori, & animo uini potus damnum ingerat, nedum haustum gustare suaferim, uerum & omnem uini potionem denegarem, eius namque corpori noxium est uinum. Quippe uino epoto humectante, atque calfaciente, noxios excessus corpori eius conducet, ut ait Galenus primo, de tuenda sanitate, & in libro exhortatio ad bonas artes. Cum autem repleti eius caput sit inutile, uinum autem halitu corpus replet, ut ait Galenus, in libro, quòd animi mores sequuntur corporis temperaturam, profecto uinum illi pernociuum erit. Vinum enim in D. S. caput replendo, catarrhum promouet, qui ad iuncturas permeans,

means, & in his firmatus, & arthritidem, & podagram pro-
gignit, non immerito igitur dixit Galenus, sexto aphorif-
morum, commento uigesimo octauo, quod uina fortia
epota causant podagram. Propterea igitur mihi ipsi sua-
deo. D. S. Potum peridoneum debere esse Idromel, deco-
ctionis hyssopi, & saluiae. Et si quispiam Galenum, tertio
de temperamentis inspiciat, nequaquam D. S. uinum tri-
buendum putabit.

Sed uenirem ego interrogandus. Si Gale. quinto apho-
rismorum, commento quinto, inquit. Vinum qualitate
sua sanare eam, quam fecit ægritudinem nervos calfacien-
do, atque exsiccando, Cur D. S. Reuerendissimæ uinum de-
negabis. Huic dico, quia certius est uinum suo halitu ce-
rebrum percutere, atque grauare, cum hoc sit ei peculia-
re, quam sua qualitate nervos calefacere, & exsiccare, tutius
est in cerebri affectionibus, atque in his, quæ a cerebri no-
xis originem sumunt, uinum denegare, quàm illis erran-
do contribuere. Nempe si ei ob metum aquæ inter cutem,
uel consuetudine uel inordinata uini appetentia, uel uio-
lento medicorum irritatu ad uini potum cogar condonan-
dum, sit eius uinum album, uel coloris mediocri, & imbe-
cillum uirium, ut caput minimè percutere ualeat, dicen-
te Galeno primo, de tuenda sanitate, & quinto de locis af-
fectis, capite quinto, nam huiusmodi uinum, ut uentricu-
lum robustum efficit, ita haudquaquam tentat caput, id
quod facere solent ea, quæ ualidiores uires obtinent. Vbi
uero D. S. securius uinum bibere ualeat, ipsum præparet,
coniiciendo in id, quod prædiximus uinum betonicam,
atque hyssopum. Et hoc præcepit Galenus quinto, de sani-
tatis tutela, ubi ait. Vinum huiusmodi compositionis ma-
xime aptissimum est his, quibus suspicio est calculi in re-
nibus gignendi, aut podagræ alicuius articularis uè morbi
impetus futuri, Quod si potens, & forte uinum, in poda-
gricis affectionibus princeps, concedit in de cura doloris
articularis,

articularis, hoc uerum est in morbi declinatione manifesta, & in pauca quantitate epotum. &c.

DE CARNIBVS.

A Nimalia quæcunque pedestria, temporis uetustate afficiuntur, eorum carnes D. S. cauere debet, uti bubula caro, ait enim Galenus tertio, de potentiis alimentorum, capite primo. Bubula uerò alimentum ipsa quoque non exiguum, nec discussu leue præstat, sed sanguinem crassiozem, quam par est progignit. Quæcunque igitur peditantia animalia temporis uetustate terrei alimenti naturam sibi concesserint, D. S. eorum carnes obnocuæ sunt. Quales sunt ceruorum carnes, & capreolorum, arietumq; & uetustorum castratorum, illæ enim non optimi sanguinis, sed feculenti, & contumacis facilè sunt progignentes, Qui omnium nostri corporis facultatum functiones obtinebrat & lædit, curritque eodem cursu, suilla caro, omni enim administrationis modo ei nocua existit, uentriculum enim grauat, & crassum alimentum adgenerat, & sui natura non facilem concoctionem admittit, ut ait Galenus, septimo, methodi curatiuæ, capite sexto.

Eligat igitur D. S. carnes sibi utiliores, quæ sint temperaturæ calidæ, potius siccæ, quàm humidæ uti sunt omnes auiculæ syluestres in arboribus degentes, ac uictum in siccis locis trahentes. Sunt enim D. S. peridoneæ, uti sunt ficedulæ, turdi, merulæ, palumbi syluestres, & huiusmodi. Et si domesticæ aues, atque animalia non grandiora ad minorem uergant siccitatem, ei erunt conuenientes, si condimento parentur ex hyssopo, saluia, betonica, & huiusmodi, uti sunt capones, gallinæ, & gallinarum pulli, & columborum pulli domesticorum, & qui in turribus habitant: eorum enim carnes puriores sunt, & minus excrementitiæ. Fasiani quoque, & perdices, coturnicesque, & frigellæ, & iuuenes pauones, & qui ex Italia, & qui ex India originem traxerunt, D. S. optimum alimentum, & iuuamentum

mentum præstabunt, caro quoque uituli, & præsertim unius anni, & modo simili caro castrati, & hædi, & iuuenis cuniculi, ac lepores, omnes hæc carnes D. S. Edulia sunt aptissima. Agninam fugiat carnem, ob id quod humidiores alimoniam, quam par est progignit, ut ait Galenus, in libro de cibis boni & mali succi, & carnes auium, & animalium in aquis degentium, admodum sunt D. S. rebelles, sua enim humidiores temperatura, & natura excrementitia caput grauant, & omnia corporis nostri membra defluxu superfluitatum ad ea offendunt, & in eis dolores excitant, uti sunt anserum, & Anatum carnes. &c.

DE PISCIBVS.

AD hæc fugiat pisces ob frigidam temperaturam, & abundantem eorum humiditatem, Quo fit, ut ipsi ualde excrementicii fiant, ut ait Galenus sexto, de usu partium, capite nono, & tertio de facultatibus alimentorum, capite uigesimo quarto. Ideo D. S. pisces denegabimus, illos maximè, qui in cænosis, & sordidis aquis uescuntur, & qui in paludibus, & stagnis capiuntur, eorum enim omnium caro admodum excrementitia existit, atque mucosa, auctore Galeno, tertio alimentorum, capite uigesimo quarto.

Fluuiarium uero piscium, non adeo ei noxia est caro, & tanto minus, quanto fluminis aqua rapida, & multiflua existit, ipso enim torrentis fluxu, pisces fatigantur, Quo fit, ut eorum caro minus excrementitia, atque mucosa reddatur, ut ait Galenus. Potissimum autem eorum piscium caro, parum ei noxia est, qui in puro natant mari. maximè cum uetorum difflatu, mare agitatam attollitur, ait enim Galenus, tertio de potentiis alimentorum, capite uigesimo quarto. In silente namque mari, nullisque agitato fluctibus, tanto piscium caro uilior existit, quâto minus exercitata. Nempe si D. S. Pisces admittam, uellem ad memoriam reuocare eos parari hyssopo, saluia, betonica, chamæ-

pyti, roremarino, ipsosque conditos paululo cinnamomi, salitos pisces ei non dabo. Si Galeni uerbum obseruabo secundo, de compositione medicamentorum secundum locos, capite. XVIII. Vbi ait, sal noxium est ac molestum propter grauedinem, & potissimum in capite, & eodem iudicio salitas carnes ei contumaces, & etiam alia cuiusuis salamenti genera nocua fore pronunciamus. &c.

DE OVIS.

Oua quæ ab animantibus nascuntur a Galeno tertio, facultatis alimentorum, capite uigesimo primo, inter hominum numerantur alimenta, quorum summam, nutritionis laudem, gallinarum oua, demum fasianorum obtinere. Porro cum albuminis uis frigida sit, & glutinosa D. S. satis incommodat, solo igitur luteo oui uti eam non ambigam. Sintque oua ex eius communi usu recentia, & non diu asseruata, hæc enim recentia facile concoctioni obediunt, diu uero asseruata nedum concoctioni pertinacia sunt, sed prauorum progignentia humorum, ob quam redixit Galenus uerbum hoc. Recentium porro ouorum ad uetera non mediocris est differentia. Quippe optima sunt recentissima, pessima perquandiu asseruata. Oua quæcumque D. S. acceperit, in aqua cocta sint: ob id quod in feruentibus cineribus affata longè tardioris sunt meatus, & crassioris succi. Quippe quæ in sartagine condimento parantur oua, longius distent a communi esu D. S. ob illud Galeni uerbum tertio, alimentorum, capite uigesimo primo. Quæ uero in sartagine ad crassitatem usque friguntur oua, deterrimi omnino sunt alimenti. Dum namque coquuntur nidorem, ac fumum edunt, succusque ex his prognatus, non solum crassus, uerum etiam prauus, & excrementitius est. Idem quoque iudicabo de piscibus, & carnibus, & aliis quibuscunque edulis, quæ in sartagine friguntur, cum enim mali sint succi ab his Dominatio sua, plurimum cauere debet. Non sint oua, quæ

D. S. largiuntur cocta, idest dura, ob id Galeni uerbum, ut supra. Cocta seu dura oua difficilis sunt coctionis, & tardi transitus, crassamque alimoniam corpori exhibent, quæ sanè cerebro nocua est, Porro sint tremula atque sorbilia, quæ ei admittimus oua, cum dixerit Galenus, tremula, molliæ oua omnium bellissimè nutriunt. &c.

D E L A C T E .

Compertum est ex Galeno tertio, de facultatibus alimentorum, capite decimo quarto, & in libro de cibis boni, & mali succi, lac numerandum esse inter cibos, qui ab animalibus proficiscuntur, Quod si D. S. capiti attendamus, proculdubio lac ei denegabimus. ob id Galeni uerbum, quinto aphorismorum, commento sexagesimo quarto. Lac uerò quod bene concoquitur, nutrit, & bonos facit humores. Et dum cōcoquitur, his pariter attollit ilia, & tangit caput.

Vbi uero in D. S. carnis iacturam inspiciamus, qua à timore tabis non immunis existit, ductus ego hac carnis iactura, & indebita uictus ratione D. S. optimum lac admitterem, dico optimum lac, ob id, quod uitiosum lac, ut prægnantium animalium, uel ex malis cibis lac prognatum nedum abest, ut ad succi probitatem conducat, sed ut malo etiam succo utentium corpora repleat, & ut ait Galenus, in libro de cibis boni & mali succi. Lac, quod D. S. idoneum existit, id est, quod recenter est mulctum, cum enim simul emulctum est, naturæ bonitatis nihil amittit. Quo fit, ut diutino tempore emulctum naturæ bonitatis plurimum perdat. Quippe D. S. suadeo, lac illud quod ei admittimus, infantium more. Priscorum iudicio ab uberibus sugendum sit, ut confestim emulctum natiuo calore uestitum potetur, ut ii, quibus est opus omnino id adstante animali statim mulctum bibant. Prius enim quam ab ambiente aere alteretur, id sumi uoluerunt ueteres, ut ait Galenus, quinto methodi curatiuæ, capite duodecimo.

Primum lac ei conueniens est, muliebre. Asininum secundum, tertium caprinum, quartum ouinum, quintum uacinum. Vbi uerò D. S. de carnis iactura non ambigat, sicuti nunc temporis accurate inspeximus nos, omnia fugiat lacticia usu immoderato propter id, quod caput feriunt. & cet.

DE CASEO.

Dixit Galenus tertio, de facultatibus alimentorum, capite decimo sexto, Caseum ex iniecto lacti coagulo formari, quippe dum formatur acrimoniam accipit, totamque humiditatem relinquit, & magis eo inueterato crescit acrimonia, & is calidior, atque urentior redditur, concoctionique contumacior, & deterrimi alimenti procreator. Ob quam rem a tota rei natura caseum minime dandum putamus, quippe & si facultatis attenuatoriarum crassorum corporis humorum, caseus sit, plus porro damni ex succi prauitate, & æstuantis feruore infert, quam crassorum humorum attenuatio, prodesse possit. Sane cum omnium caseorum, hoc commune uitium esse solet, D. S. omnem pernegabimus caseum, minus tamen illi recentem caseum denegabo, si modesto usu nonnunquam eo utatur, ob illud Galeni uerbum tertio, de potentiis alimentorum, capite decimo sexto, ubi ait. Laudatissimus inter omnes caseos recens habetur, gratissimus ori, stomachoque minimè noxius, aliisque omnibus caseis concoctu faciliior, & comestibilior, succo constans non uitioso, neque usque adeo crasso, quod omnium caseorum commune uitium esse solet. &c.

DE BUTYRO.

Cum ex eo quod in lacte pinguisimum est butyrum progignatur, atque leniendi facultatem sibi conducit, concoquendique & resoluendi uim habeat, ut ait Galenus decimo, simplicium medicamentorum, & Auicenna secundo canone, capite. CXIII. forte D. S. ab esu butyri moderato abducerem. Quod si ingenti butyri desiderio

HH ii aff ceretur,

afficeretur, butyrum aqua hyssopi, uel saluiae elotum non denegarem, &c.

D E O L E R I B V S.

Olera quaecunque, quae larga & abundanti frigiditate atque humiditate uestita sunt, intentione ad causam mouentem in generatione podagrae, quae plurimum in S. D. est superaccensa caliditas, iecinoris, quae & capiti, & aliis corporis membris communicatur eliquans pituitam, quae ad artus irruens, in his firmatur, & dolores excitat sunt ei conuenientia, quoniam malam intemperiem tollunt, qua pituita paratur defluxui ad iuncturas. Qualia sunt, lactuca, endiuiia, beta, spinachia, & huiusmodi. At ubi mentem quis habuerit ad causam praecedentem doloris articulorum, quae est plenitudo ex pituita, & ad continetam causam, quae est accumulata pituita in articulis, praedicta olera sunt D. S. infesta. Quae uero sunt temperaturae calidae, & siccae, sunt ei admodum idonea, cum a contraria temperatura operentur, & hic est scopus exquisitae curationis, ut ait Galenus tertio, artis medicae. Qualia sunt hyssopus, menta, calaminte, petroselinum, foeniculus, sisimbrium, saluia, betonica, & huiusmodi, borago quoque & buglossa ei idonea sunt, quoniam modesta humiditate affecta sunt, quo fit, ut carnis iacturam non augeant, sicut quae olera sunt calida & sicca, neque causam immediatiorem podagrae adaugeant, qualia erant frigida, & humida olera, igitur in communi suo esu unam alteri permisceat, ut eorum temperaturae, ad medium quoddam ducantur, ut nec uni nec alteri affectioni sint nocua.

D E F V N G I S.

FVngos quouis modo condiendi paratos D. S. cauere debet, nedum enim mali succi sunt, uerum & alimonia ex illis procedens pituitosa, gelidaque est, os uentriculi angustians, quippe & id pondere afflictum spirandi facultatem corripit, ut ait Galenus, secundo alimentorum, capite

sexagesimo nono. Et dixit in libro de cibis boni, & mali succi, fungi etiam cum siccari nequeant, uitium in se habere maximè indicant. Et Auicenna secundo canone, capite. CLXXIII. ait, accidit ex fungis, qui non interficiunt, praefocatio. & cet.

DE FRUCTIBVS.

DE fructibus, quibus homines uescuntur, hos quidem horarios prisci appellitant, qui in anni hora nascuntur, anni quippe horam uocantes id tempus, in cuius medio canicula exoritur, auctore Galeno secundo, facultatis alimentorum capite secundo. Porro hos quidem terræ fructus nuncuparunt, quales sunt cucurbitæ, Mellones, pepones, cucumeres, & huiusmodi: qui cum humidæ, gelidæque consistentiæ sint, atque larga humiditate affecti, nedum humidam progignunt alimoniam, sed etiam exiguâ, facileque è corpore excernibilem, ut dixit Galenus, id genus omnia uitioso succo notata, ob quâ rem, cum ex gelida, humidæque temperatura D. S. morbi causa incrementum suscipiat: nõ ab re à. S. D. fructus huiuscemodi longè fugiendos crediderim.

Eos uerò, qui à ueteribus, arborei fructus appellantur, qui hominum cibos adiuuant, auctore Galeno, secundo alimentorum, capite septimo, à tota ipsius rei natura, esu, D. S. non dabimus. Ii enim quorum mollis, atque humida est consistentia nedum tenuem, humidamque consistentia ex se alimoniam corpori afferunt, uerum & flatuosam, cerebro, & neruis nocuam. Quales sunt ficus, pira, mala, persica, armeniaca, cerasa, pruna, & huiusmodi. Vbi uero, ut pueri, uoraci appetentia pulsati. D. S. quempiam horum cuperet, maturas ficus, ueluti minus nocuas ei tradere iuberem, minus namque prauis succi adgenerant omnibus his, qui fugaces, & autumnales uocantur fructus, & si penitus huius uitii non immunes reddatur ficus, ut ait Galenus secundo, de potentiis alimentorum, cap. VIII. Porro arbitror, si ficus permaturæ siccitate, parentur hyssopo, scilicet, & sampuco

C O N S I L I V M

sampfuco, & mellis paululo, in uasculo ad hybernum tempus condiantur, recondanturque, D. S. peridoneum erit edulium, nam abstergendi, attenuandique ui pollent, idonea neruis, & eorum affectionibus.

Cæterum poma & pira feruentibus sub cineribus cocta, nonnunquam esitare poterit. Excalfaciens enim ignis nedum eorum humidum nocuum minuit, uerum & flatuosum spiritum sensim excernit, soluitque, quippe si hyssopi pulveribus, addito zuccharo superasperfos fructus coctos edat eos, escam non admodum ei nocuam esse, nullus autumabitur. Verum cum solidæ consistentiæ fructus adfuerint, qui adstringente ui admodum pollent, eos certè D. S. concedere minimè auderem. Quales sunt cydonia, mespila, sorba, nuces, & huiusmodi. Ii enim nedum in transeundo tardi sunt, uerum & crassi, atque glutinosum, adstringentemque succum, progignunt, D. S. omnino nocuum. Atqui huius adstrictoriæ facultatis, dulces amigdalæ nihil sortitæ sunt. Quippe abstergendi, ac extenuandi ui pollent, Quo fit, ut D. S. sufficiens esca comprobetur, neque caput grauabunt, si post earum corticis ablationem, tribus in calida aqua horis permanserint. Nuces uerò auellanae adstringentis qualitatis ui pollent, auctore Galeno secundo, alimentorum, capite uigesimo octauo. Quo fit, ut nedum hæ, & iuglandes nuces, ei esca efficiatur nocua, uerum destillationes desuper mouentes, in iuncturis accumulatas arthritidem poterunt excitare. &c.

DE TERRAE BVLBIS.

Terræ bulbos nempe cauere debet, qui mordaci acrimonia præditi sunt. Quippe caput tangunt, & neruos pungunt. Qualia sunt capæ, allia, ascalonia, porri, & similia. Acrium igitur omnium usus a sua D. euitandus est, quoniam facultatem quandam alendi corporis obscurissimam habent, auctore Galeno secundo, simplicium pharmacorū, capite ultimo, & in libro de cibis boni, & mali succi. &c.

LEGVMINA.

LEGUMINA.

O Bid quod legumina, nulla gratia, nullaque iucunditate comendantur, quippe & flatibus ventres admodum implent, ut ait Galenus primo, de potentiis alimentorum, ea proculdubio dominationi suæ cuiusvis generis paratus adfuerint, ingratas escas pronūtiabo, ubi autem laborantis inordinata appetentia, ad eorum esum cogeret, quandoque cicerum rubeorum iusculum sorbere iuberem, quod non putamus admodum inutile præcipue si hyssopi, aut saluiæ, uel maioranæ condimēto paretur: nempe sic paratum iusculum attenuádi, & abstergendi crassos, ac glutinosos humores, atque eorum meatus obstructos, aperiendi ui pollet D. S. peridoneum. &c.

MOTVS ET QUIES.

H Vmani corporis excogitata dimotio non solum ad sanitatis tutelam, uerum & ad bonam corporis habitudinem, necessariam esse, prisci omnes prædicarunt, auctore Galeno, libro primo, de tuenda sanitate. Porro igitur, ut D. S. bonam conducat sibi ualetudinem, præcipere oportet, ut corporis motione, atque exercitatione utatur. At quoniam non leue incommodum nonnullis accidit, cum repleti cibo se exercent, ut ait Galenus sexto, de tuenda sanitate, nempe eam impleto uentre exerceri nollem, ea in quâ motione, uaporibus plerumque impletur caput, fluxiones desuper cadentes ad motionis instrumenta progredientibus suæ Dominationi noxias. Potissimum igitur eius exercitatio sit ante cibum, nihil tamen, quin & post cibum. Quippe ante cibum, quoniam ea uirium corporis robur augere solet, auctore Galeno sexto, de locis affectis capite sexto. Quinimo & ea exiguos corporis meatus expurgat, & excrementa pellit, Et ob hoc dixit Galenus secundo, de tuenda sanitate utilius est ante cibum exercitationē adhibere. Nempe & post cibum, non omni tamen hora exercitationi submittatur, Quoniam tempus ad exercita-

tionem

tionem commodissimum est, cum cibus externus, duplici concoctione iam prorsus sit confectus, & ea scilicet, quæ in uentre, & ea, quæ in uasis sanguinis agitur, & iam cibandi tempus instet, quod si aut prius, aut posterius exercitatione D. S. utatur, aut crudis humoribus implebitur, aut pallidæ bilis prouentum adaugebit, auctore Galeno secundo, de tuenda sanitate.

Nempe ut ait Galenus sexto, de tuenda sanitate, exercitationes, quæ post cibum fiunt, quàm maximè eas lentas esse expedit, ut non celerius, quam oportet membris cibus rapiatur, illæ namque quæ ante cibum fiunt, magis citas esse oportet, quæ cavitates superflua implent natura, exercitatione in uigore consistente, ualentius deiiciantur, hoc per maximè D. S. idoneum. Quippe non has citas esse expedit, quales festinabundi usurpamus, opere aliquo uigente, quoniam desuper fluxioni clementum offerunt. Caterum ad has quidem exercitationes corporis frictiones conducere soleo, ut leuibus quippe frictionibus, quæ extrinsecus fiunt, ea rapiant, quæ in intimis neruorum superfluunt & consistunt. Sciat ex dictis D. S. nimiam contumacem quietem aufugere debere, ob ea, quæ sequi possunt incommoda opposita his, quæ ex exercitio commodis, sequi potuerunt. & cet.

SOMNVS, ET VIGILIA.

SI ambo somnum & uigiliam, coniectari uoluero, hæc sanè fieri secundum innati caloris motiones comperiam, auctore Galeno, secundo aphorismorum, commento primo, somnum quidem ad intima corporis, uigiliam uerò ad exteriora, natiuo calore promotò. Quam ob rem natiuo calore cum in somno multo ad intima uocato exhalitibus multa quantitas capiti ingeratur, quibus fluxiones ad iuncturas conducuntur, ut ait Galenus. Idcirco nollem, D. S. multo tempore gaudere somno, at cum ex diuturno somno, & incremento superfluxionis, causa difficultatis

eultatis motionis cōcreſcat, nō ab re ipſam diuturno ſomno ut abſtineat ſuaſerim. Porro cū ex uigilia ſpiritus à corde ad corporis particulas expirēt craſſos, ac glutinosos humores in cavitatibus artuum ingeſtos conſocio calore attenuent, atque diſrumpant, ob id maiori temporis intervallo, ipſam uigilia lætari uelim. Quo fit, ut ſi uetuſtam multi ſomni aſſuetudinem poſſideret, ſenſim eam negligat, & perdat, ſeruato Galeni præcepto, ſecundo aphoriſmorum, commento quinquageſimo. &c.

GAUDIUM.

Quia nimio gaudio animata facultas ad exteriora fertur, ſi quid antea ei roboris adfuerit, dū exteriora petit, diſcutitur, atque diſſipatur, ut nonnulli ſupramodum puſillanimes repente moriantur, auctore Galeno ſecūdo, de ſymptomatum cauſis, propterea gaudeat D. S. moderato gaudio. Porro eo non ita ualido motu, ac feruore animata facultas ad exteriora fertur, ut exoluatur, laxeturque, quippe ſi quid ei roboris antea fuit, id detinet, ut delegato ſpiritu à corde ad membra, calore conſocio, pituiſas humiditates, neruorum cavitates occludentes, diſrumpat, atque exoluat, hoc enim peridoneum eſt D. S. contra uero debet mæſtitiā cauere. Nam ea reuocāte ſpiritum, & calorem ad cor, exteriora algeſcunt mēbra quod D. S. pernocium eſt. &c.

REPLETIO, ET EVACUATIO.

Neminem admirari uellem Reuerendiſſime. D. ſi uitioſam ciborū atq; potuum ſatietatem, & porro malorū ſuccorum, ſimplici uerbo, damnari quis dignoſcat. Sanè cogor ego & fateri Galeni uerbo. I. aphoriſ. com. III. ubi ait, cū enim uafa cibis, & potibus fuerint ſupramodū repleta, periculum eſt, ne diſrumpātur, aut calor natiuus ſuffocetur, & extingatur. Quo fit, ut timor adſit ex multa ſacietate de ingenti grauitate capitis, & neruorum maiori cavitatum obſtructione adeo, ut eorum facultas motiua

II per datur,

C O N S I L I V M

perdatur, & in articulis dolor, & podagra excitentur, Proinde in uictus ratione D. S. seipsam parcè gubernet, uesperè præsertim, quoniam nocte facultas concoctrix plurimū fatigaretur in somno, cum in corrigendo uitiosos humores, tum in concoquendo cibi amplitudinē. Hortor quoq; D. S. moderatè uentres suos inanire, aut cibi & potus parsimonia, aut sensim cum purgatorii medicamento euacuatione, quo fit, ut membra humorum abundantia non grauentur, & superfluitates ad iuncturas non fluant, & in ipsis decumbant, & hoc D. S. perutile est, &c.

C V R A T I O M O R B I .

CUm iam à nobis præfinitum sit, quali uictus ratione Reuerendissimus D. uti debeat, alteram rem nunc aggrediar. Quam morbi profligandi facultatem libro primo, de sanitatis tutela, Galenus appellauit. Nempe quoniam morbus eius diutinus est, ut & plerique morbi longi ob crassos, lentosque, & frigidos fiet humores, quo fit, ut non facile eius causa concoqui possit, ut est Galeni uerbum, secundo aphorismorum, commento decimo nono. Et quoniam morbus D. S. maximè perturbans, est arthriticus dolor, ad quem facile præcescit podagra, cuius causam fore autumamus fluxionem à capite ad iuncturas fluentem, in eisque dolores excitantem. Ideo uno, & eodem scopo, & catarrhum, & podagram curare tētabimus. Quippe cum humores ii, in patientibus partibus impacti sunt, atque agglutinati, ita quod eorum dispositiones, magis præduris tumoribus quàm inflammationibus asimulantur, ut dixit Galenus, Idcirco curationis modus affectionum D. S. eadem die medicari non expedit: sed non modo irrationalis, uerum & fallax, atque periculosus est, auctore Galeno primo aphorismorum, commento uigesimo secundo. Quo fit, ut sensim huiusmodi affectum medicari opere precium sit, tum altero die, morbi causam concoquendo, tum concoctum deiciendo, uti edocuit

cuit nos Galenus, primo aphorismorum, commento uigesimo quarto, & secundo aphorismorum, commento nono. Sane igitur nullo ductus errore mihi suadeo, D. S. binis medicationibus per anni tēporis spatium medicari oportere una uernali, altera uero autumnali tempore initiatis. Dixit enim Galenus, sexto aphorismorum, quinquagesimo quinto. Podagrīci dolores uere, & autumnō magna ex parte mouentur, ideo his temporibus purgationes faciendæ sunt, ut ait Galenus, sexto aphorismorum, commento quadragesimo septimo. Quippe huiusmodi medicationes præcauentes erunt morbum, qui futurus est, atque curantes illum, qui iam imminet, ut præcauendi, atque curandi morbum eodem amplectar scopo. &c.

Initio igitur ueris pereunte D. S. medicamentis purgari iubeo, porro purgationibus peridoneum est id tempus auctore Galeno, in libro de missione sanguinis, Verum quoniam Hippocrates nos edocuit, secundo aphorismorum, commento nono, & Galenus, primo aphorismorum, commento uigesimo quarto, dicentes. Vbi quis corpora purgare uoluerit, oportet fluida facere, mihi nempe assuetudo est, fluidum in primis corpus purgandum efficere medicamento à latioribus uis excrementa eiiciente, ne à prauis eorum flatibus principalium uires offendantur, atque hæ imbecilliores effectæ, proximam morbi causam consocio adhuc calore concoquere nequeant. Cum igitur ueluti à causa mouente insurgant in D. S. catarrhus, & podagrīci dolores ab amara bile, quæ ex abundanti epatis caliditate oritur, & uti à causa continente à pituita in articulis pedum decumbente, & à causa præcedente à plenitudine pituitæ in toto corpore. Hortor D. S. ut mane priusquàm uentriculum impleat, quod sequitur ingurgitet. Cassiæ fistulæ recenter eductæ drachmas nouem accipiat, cui betonica in puluerem ductæ, drachmam mediam, & Reubarbari drachmam unam iungito, & bolum conficito. Sanè

C O N S I L I V M

timore habito de iactura carnis in D. S. nulla sanguinis missio fiat in ipsa. Vbi uerò quædam extarent indicia mittendi sanguinem, ei parcissimè detrahatur, ne frigidò comitante sanguinis missionem, adaugeretur causa præcedens, & continens doloris podagrìci, altero nempe succedente die, priusquã ad nos solis ortus pertingat, potionem hanc admodum commodam, utilem ue, septem non intermittibus diebus tepidam potet. Syrupi de betonica, syrupi de endiuiã, syrupi rosati, mellis rosati, de quolibet horum mediam unciam accipito, aquæ betonice, endiuiæ, boraginis unciam unam de qualibet, cæteris misceto, & potui dato, atq; duabus superdormiat horis. Vbi uerò aluus D. S. adstricta foret his porrò diebus, quibus morbi causa concoquitur, eam quippe laxam custodiat, aut clysteri, aut re alia humectam aluum faciëte, ut pruna. Tamarindi, passulæ, & ex his iuscula.

Cæterum octauo die indicis concoctionis apparëtibus prius quã nox è tenebris ad lucem uertatur, tali medicamento purgetur.

Mannæ Vnc. ii. accipito, cui adde reubarbari drach. i. & ellectuarii indi, & ellectuarii succi rosarũ, cuiuslibet drach. mediã, omnia quippe hæc & mannam cum decoctione comuni cordialium fructuum. s. & florum dissoluantur, & patienti dato, eo quippe die uictu regatur, uti reguntur corpora die illo, quo medicinam potauerunt, carnis uidelicet, pullinæ esu, & eius iusculo, decoctionis endiuiæ boraginis & betonice mane. s. & uesperis. Sequenti uero die, cum a matutino surrexerit somno, deuoret drac. ii. mixturæ sequentis. Conseruæ rosarũ, conseruæ anthos, conseruæ betonice, de quolibet Vnc. i. misceto. Hæc quippe propinabis tribus septimanæ diebus, donec ad nos æstatis finis perueniat.

Eo quippe tempore iuberem D. S. uentriculo non pleno, & mane, in unius septimanæ temporis spatio semel eius crura sequenti lotionè diluere, leui quippe utens frictione,

tionem, ne a superioribus ad crura humores post euacuationem derelicti conducerentur. Vini albi non admodum potentis. Siclam unam sumito, in eo bulliant grana mirthi, & rosæ, & cytini, & stæcas, & betonica, ad tertiæ partis consumptionem & reliquum usui seruetur.

Vbi uero D. S. forte fortuna eo in tempore podagra corriperetur, iubeo ipsam attenuante uti dieta, ut ait Galenus, in libro introductio, seu medicus. Placeat igitur D. S. per temporis spacium quattuor uel quinque dierum contentum esse tenui uictu in prandio, uespero uero solo potu iusculi pullæ unciarum sex. Quod si hoc non sufferre ualeat, ei adde luteum oui, uino autem ex toto priuetur, ne opere medici blandientis offerentis ei uinum, podagrici dolores prolixiores fiant. Vbi uero coacte uinum ei condonare necessarium foret, sit tale, quale supra diximus, plurima aqua mixtum, & sic quippe procedat, donec morbus sui uigorē præterierit, & tunc uinum potens ei, tamen modicæ quantitatis condonare poterimus, ut si quid humoris pituitosi in iuncturis permanserit, quod natura discutere, & soluere nequirit, uinum sui calore, id discutere atq; dissoluere ualeret, cum hoc, quod uinum iuncturas roborabit, Et si forte fortuna aliqua urgēte causa, ueluti est plenitudo totius corporis podagrici dolores incrementū susciperēt, iuberē D. S. alternis diebus prope diluculum, unam de sequentibus pillulis ingurgitare, confestimque super eam, sequentem syrupum potare. Pillularum de ermodactilis drachmam unam accipito, & ex ea cū melle rosato pillulas quattuor conficito. Syrupus est, de betonica, de rosis, de endiuiā, & aquæ quippe sunt, betonica, endiuiā, atq; boraginis, in his certe expertus sum arthriticos dolores his temporibus minui, aut ex toto podagricos sanari.

Cæterum rogabit fortasse, D. S. nū. priusquam tempus uernale terminum suum possideat, uel principii æstatis tempus non peragrauerit, uel æstatis ultima pars autumnum

num non tetigerit, nonnullæ apud Italiam thermæ D. S. peridoneæ sint. Huic dicere auderem, si præceptis salutari- bus Galeni & Auicennæ assentiri cupiam, Quæ ex natura- li minera sulphurea, aquæ scaturiunt, indubitato ei perido- neæ sunt, Sanè his exquisitè peractis, illis uero seruatis, quæ ipsi & simili aquæ obseruiunt, congruuntque, Igitur intrepida fronte iubeo, priusquam uernale tempus à no- bis effugiat, uel alterum æstatis tempus, quæ duo conue- nientia tempora à me idonea censentur, D. S. huiuscemo- di sulphureas thermas aggredi debere, ob crassos, & glu- tinosos humores, in cauis neruorum occlusos, quorum ex- quisitum remedium est, eos destruere, & consumere, por- rò hoc fit per attenuantia, & abstergentia medicamenta, auctore Galeno septimo, de compo. med. s. l. capite tertio. Quale est sulphur, ut dixit Galenus nono, simpliciũ phar- macorum, ob quam rem quæ sulphuris uires habent, D. S. peridonea sunt. Verum & si thermæ aluminis atque ni- tri, salisque quadam facultate pollerent, dum earum si- mul potentia uigeat, eas indubitato podagricis conuenire fateor. Quibus crassæ, & abundantis humiditatis exsicca- tio, atque attenuatio, dissolutioque salutare præsidium existit. Quippe & hæc, exsiccante ui maximè pollent, ut ait Galenus quarto, de compositione medicamentorum per genera, capite primo, & tertio, capite secundo, & Aui- cenna secundo canone, capite quinquagesimo nono.

Nempe non dico epotam thermarum aquam, D. S. iu- uamentum præstare, quoniam ab ea fluxione à capite ad membra conducta, facile admoueretur catarrhi incremen- tum, quoniam ea aqua, cerebri pituitosas humidates atte- nuans, eas fluxioni magis aptas parabit, quæ cavitates ar- tuum implebunt, & arthriticum dolorem excitabunt.

Verum eam aquam ad contexturam coronalem, ab al- to cadentem ualentius suscipere iubeo, Quo fit, ut fluxio- ni, & accumulandæ superfluitati in iuncturis, salutare præ- sidium

fidium conducatur, eo enim aquæ occurſu, quod frigidū eſt, calido alterabitur, & concoquetur. Quod uerò crāſſum attenuabitur, atque capitis uires roboraborabuntur, ut pituitoſum humorem non progignant, & genitum reſoluant, Quo fit, ut fluxione, artus non grauentur, & in his dolores non excitentur.

Quæ autem D. S. Balnea conueniunt ſunt. Qualia ſunt Balnea apponenſia, aut Sanctæ Helenæ in comitatu Patauino. At & ibi lutofa balnea Sancti Bartholomei. poſt du-
ciam ualentius conferre pronuntio. Ex manifeſta enim eorum temperatura, & experientia compertum eſt, ea peridonea eſſe.

In comitatu uero Lucano, Balnea de Corſeno optima ſunt, at & apud Senarum Ciuitatem Balnea Sancti Philippi & Pitrioli mirabile induxerunt auxilium. In Roman-diola uero Balnea Sanctæ Mariæ inuenta ſunt conferre pluribus.

Ob errata, quæ in uictus ratione contingunt, non modo morbi ſiunt, uerum & a temporibus, quorum naturæ, atque mutationes morborum, naturis affines ſunt, auctore Galeno tertio aphoriſmorum, commento decimo nono. Quippe cum hyberno tempore cerebri affectiones uigere ſoleant, auctore Hippocrate tertio aphoriſmorum, uigeſimo tertio, non ab re autumno præcedente, D. S. iterato purgatoriis uti medicamentis, ut ab initio curationis expoſui, facile iuberem. Quam ob rem cum autumni tempus ad nos peruenerit, eam ſeptenis inſcriptis ſorbtionibus, haudquaquam intermittente die, priuſquam nobis ſol eluceſcat, uti uelim.

Syrupi de betonica, cum ſyrupo de endiuia, & de chamæpythi, atque de oximelite pro quolibet unciam mediam accipito, Quibus aquæ betonice, chamæpythios, atque endiuie ad pondus unius unciæ pro qualibet permisceto, & potui dato.

Cæterum

Cæterum cum concoctionis indicia apparuerint, sic purgato. Mannæ unciam unam, diacatholiconis unciam mediam accipito, Quibus Reubarbari drachmam unam, & spicæ grana septem, & ellectuarii indi drachmas duas permisceto, at cum aqua coctionis saluæ, & hyssopi, ac betonica, & omnium quattuor florum cordialium potum conficito, & ante lucem exhibeto, ac ut parumper super quiescat iubeto.

Hyberno nempe tempore procedente, quod experientia frequentius didici, Id D. S. salutare præsidium esse non ambigo, uidelicet. Si octo dierum temporis interuallo bis terebentina, cum aqua chamæpythios, diluta, non pleno uentriculo, D. S. propinetur. Quippe assumptionis mensura, sit pondus quinque drachmarum, neruos enim mundat, aluum soluit, & uiscera omnia, atque iecur, lienem, renes, pulmonemque abstergit, proinde neruorum, & artuum dolores corrigit, & emendat, auctore Galeno quinto de tuenda fanitate.

Consulo quoque D. S. ut ter in mense hyberno tempore permeante, uacuo uentriculo, tribus ante quam cibum mane ingurgitet, horis, sequentem edat bolum, Recentis, & uiridis radice zinziberis drachmam unam. Turbith puluerizati, scropulum. II. zucchari rosati drachmas duas accipito, cum zuccharo uero bolum facito, & exhibeto. &c.

Consulo etiam D. S. ingurgitare currente hyberno tempore unam de sequentibus pillulis, cuius pondus sit, scropulus unus, Turbith, agaricum, Reubarbarum, pro quolibet drachmam unam, spicam, zinziber, & sal gemma, cuiuslibet grana quinque, Epithimum, mirabolanos citrinos, & chebulos, cuiuslibet scropulos quattuor. Hermodactilos ad drachmam unam & mediam, specierum ieræ simplicis Galeni unciam mediam. Diagridium ad pondus drachmæ mediæ accipito, & omnia in subtilem puluerem conducito,

ducito, & cum rodometelle pastam pillularum conficito, & pilulam unam uesperis cum cubare uoluerit exhibeto, cæna aliqua super præcedente.

Vbi uero D. S. dolore podagrico actu corripereetur, consulo D. S. ut inchoante morbo omnia præsidia topica aufugere conetur, nisi præ nimio dolore, timor corruptionis adesset naturæ membri, eo enim tempore his utatur solum, quæ dolorem soluunt, præter ullam ad locum materiæ attractionem. Qualia sunt lac, oleum rosaceum completum, panis tritus, furfur, crocus, nisi adfuerit loci dolentis æstuatio.

Hortor igitur D. S. cum morbus inchoauerit spatio trium dierum temporis, utatur attenuante dieta, carnes, atque uinum non desideret. Vesperis non edat, sorbitione iusculi pullæ sit contentus, manè uero panem in iusculo pulli esitet, aquam decoctionis saluiæ cum modico cinnamomi potet, Quarto uero die parum lautiori utatur dieta, potum sequatur dictum, & pullorum alas uolantes edat, & paruorum animalium extrema, ubi uero ad eam horam dolor increuerit, parum minus uictus rationem permutet, & die quinto prope diluculum quinque, uel septem continuis diebus sequentem ingurgitet pillulam: confestimque super ipsam, potionem bibat sequentem, ex scropulo uno pilularum de hermodactilis, fiat pilula una, qua deglutita potet, syrupi de betonica, & de endiuiâ, & rosati, cuiuslibet unciam mediam, Quibus apponito aquæ betoniciæ, & iuæ, & endiuiæ cuiuslibet unciam unam, & potui dato. Certè ut ratio, & experientia dicat, sic minuetur, si non ex toto dolor soluetur. & cet.

Postremo posset quis interrogare, si quippe his, quæ prædiximus, nullum aperte iuuamentum Dominationi S. succedat, an aliquam sui corporis particulam urere idoneum sit.

CONSILIVM XI.

Neminem ambigere uellem, opus illud, quod urendo manu posita a nobis efficitur, postremum medicinae Prisci appellitant. Porro igitur, si his, quæ in uictus ratione præcedente sermone conscripta sunt, nullum Dominatio sua præsidium palam adepta fuerit, minusque his medicamentorum potionibus. Indubitato iubeo D. S. deorsum in cruribus a genu sanè distanter spacio digitorum quatuor, in syluestri parte urere debere. Nempe ea uestione humores, qui neruosas partes occupant, ad exteriora deriuantur, excernunturque, ut ait Galenus, sexto Epidimiarum, & Hippocrates, sexto aphorismorum sexagesimo. Ad illius bene merentis gloriam, qui nos regit, & custodit.

Amen.

**Benedictus Victorius Fauentinus theoricam Medicinæ in
Doctissimo Gymnasio Bononiensi edocens sic dixit,
Anno Christi. M. D. XLVIII. Die
XIIII. Mensis Aprilis. & cet.**



AD CATARRHVM CALIDVM,

Pro Domino Vlixæ à Boue nobili quidem Bononiensi
uerum tamen Monopoli degenti,

Consilium XII.



Nobilis uir Vlixes à boue Bononiensis, habitator Monopolis, complexionis totius biliosæ à prædominio, à subdominio uero sanguineæ, epatis calidi in actiuis, in passiuis uero ad siccum declinantis, cerebri quidem calidi à caliditate ei comunicata uitio epatis, humidi quidem, & per essentiam, & per demanationem uaporum humidorum, uel humorum ab inferioribus ad ipsum, stomachi equidem conuenientis caliditatis, quæ cum iuuetur à caliditate sibi uicinarum membrorum epatis scilicet, & cordis est causa sufficientis digestionis cibi in eo, & cordis calidi, tum per essentiam, tum caliditate ei comunicata uitio epatis, & horum omnium signa suarum naturalium complexionum sic habentur.

Dicitur enim ipsum in toto esse complexionis calidæ, quoniam biliosæ à dominio, sanguineæ uero à subdominio. Dixit enim Galenus, secundo complexionum, sensum tactus regulam bonam esse ad iudicandum de excessibus naturalibus qualitatuum, propter quod cum istius uiri corpus tangenti calidum appareat, ideo suam crasim excedere temperamentum in caliditate confitebimur. Et iterum quoniam est minus pinguedinis habens, temperatis, dicemus ipsum esse calidæ complexionis. Dixit etenim Auicenna secunda, fen. primi canonis, & Galenus loco allegato, quod caliditate resoluitur, & consumitur materia pinguedinis, & iterum adest signum caliditatis in eo, color scilicet rubeus in corpore, quia sanguis in eo est calidior,

dior ex bile, & magis rubens clarus, & iudicium nostrum efficitur certius de dominio caliditatis in eo, quoniam capillos nigros habet, in eo etenim per caliditatem aduritur materia pilorum, & istudmet confirmatur, quoniam in eo uenæ amplæ sunt Dixit enim Galenus secundo, de complexionibus, cuius uenæ amplæ sunt, in sui nã est calidus.

Est & ipse in passuis complexionis siccæ in toto propter illud dictum Galeni secundo, artis medicæ dicentis. Sicca temperatura est gracilior per diminutionem pinguedinis, & carnis, quia harum materia est pauca, in eis propter siccitatem eam consumentem. Non lateat tamen nos istum non esse multæ diminutionis in carne, quoniam propter complexionem sanguineam a subdominio, quæ est in eo non deficit multa materia generationis carnis. Quapropter & si siccus sit in toto, non tamen siccitate multum excedente, quapropter ipsum tangentibus apparet siccum, minus tamen siccum, quanto sua complexio minus per siccum est excedens tempermentum, & quia coniuncta caliditate siccitatem in humoribus efficitur bilis, ideo est quod diximus ipsum a dominio esse complexionis biliosæ, a subdominio uero sanguineæ. & cet.

Et de epate diximus ipsum esse complexionis calidæ quam comitatur signum dictum a Galeno secundo, artis medicæ. Venarum scilicet amplitudo, & quia in isto est uenarum extra positio, & manifestatio, ideo concludimus hoc esse a caliditate dominante in generatione membri, quod est epar: Epar enim calidum est, & magnum in isto, propterea & uenæ magnæ sunt in toto corpore, cum sint ab eo ortæ, & sibi deseruientes in delatione sanguinis, orta autem attestantur suis principiis, Adest etiam aliud signum in eo caliditatis epatis, uniuersum etenim corpus eius calidum est ideo quia ad ipsum totum sanguis calidior transmittitur,
sanguis

sanguis autem ab epate manat, & alia etiam signa attestantia supra caliditatem epatis dicta à Galeno secundo, artis medicæ; Ab Auicenna tertio canone, in isto nobili uiro reperiuntur, quibus omnino conuincimus ipsum à dominio esse complexionis calidæ in actiuis, in passiuis uerò sicca propter signa iam dicta cum loquebamur de complexione eius naturali in toto declinante ad siccum.

De cerebro autem, diximus ipsum fuisse complexionis calidæ, & humidæ, non multum tamen recedentis à temperamento. Ad sunt & signa huius in isto nobili uiro, primum est Galeni, in secundo artis medicæ, est enim eius color in parte capitis clarus, non tamen bonus, sicut in temperato, sed ex albo, & rubeo, permixtus, non immuni ab aliquo palloris ad luteum uergentis gradu, & hoc est, quia in his partibus multiplicatur sanguis bonus satis, & iterum dixit Galenus, quòd & in isto eodem reperitur scilicet, quòd tangentibus caliditas in partibus capitis inuenitur. Et ideo, quia plus prouenit in eo ab epate ad caput de sanguine, & spiritu, & iterum apparent in oculis eius uenæ magnæ. Attestatur autem magnitudo caliditatem dilatantem, & extensio humiditatem, humidum enim facile extenditur, ut quarto metheororum. Adest & aliud signum dictæ complexionis cerebri, quoniam in eo superfluitates sunt plurimæ quidem non absolute. Sed in comparatione ad cerebrum temperatum, uel ad calidum, & siccum, uel ad calidum tantum, uel ad siccum tantum, in quibus superfluitates sunt pauciores, quam in calido, & humido cerebro, quæ superfluitates multæ in eis manifestantur magis per decursum ad membra pectoris sui multitudine ipsum lædentes. Adest & aliud signum, quoniam repletur eius caput, & grauatur calefacientibus, & humectantibus, cum enim humectatur statim

tim habet abundantiam superfluitatum humiditate quidem replente, caliditate uero eliquante, & ad earum humiditatum descensum præparante, & iterum adest signum, quoniam patiens iste distemperatur in cerebro a causis calidis, & frigidis, a calidis humidis replentibus, & grauantibus, a frigidis uero comprimentibus, uel a frigidis ad partes cerebri ingredientibus, per dilatatos poros capitis ipsum cerebrum lædentibus. Quare facile læditur ab utraque qualitate actiua, facile enim recipit impressionem utriusque propter raritatem ob quam cito penetratur a calido, & a frigido, ideo est, quod patiens conqueritur de alteratione capitis proueniente & a calido, & a frigido.

De complexione autem stomachi, & cordis, ulterius non dicam, tanquam de non multum deseruientibus proposito nostro, nisi quod omnia eius membra, & naturalia, & spiritualia sunt a suo temperamento recedentia per calidum.

Patitur igitur hic uir Nobilis complexionis prædictæ dispositionem præter naturam, quæ est catarrhus, qui est defluxus humiditatum a partibus superioribus ad inferiora, calidus quidem catarrhus hic est magis ad partes pectoris ruens, quam ad aliud membrum inferius, propter quod uirum istum ad asthma disponit non sine timore sputi sanguinis, & phtisis. Et huius catarrhi puto causam esse naturalem, & intrinsecam duplicem quidem, unam quæ est humiditatis præsentialiter in cerebro congestæ, per unam indigestionis nutrimenti ad cerebrum delati, quæ in ipso remanens multiplicatur una uice post aliam. Secunda causa est uapor, & humor deriuans ab epate ad ipsum cerebrum, qui humor postea in ipso remanens caliditate cerebri dissolutus descendit ad membra, & uapor similiter ascendens ad cerebrum ab epate quidem facit ad eliquationem congestæ humiditatis in cerebro, præparans eam ad descensum ad inferiora, & de prima causa dixit Ga-

lenus quinto, de accidenti & morbo, uerbum istud, sic accidit catarrhus cerebro ex defectu uirtutis concoctricis ipsius, sicut accidit lienteria stomacho ex defectu suæ concoctionis, & hoc idem dixit Auerrois tertio, colliget per hoc uerbum operatio uirtutis digestiuae in cerebro, aut diminitur, aut corrumpitur, propter quod prouenit fluxus, uel cursus humiditatum ex cerebro ad inferiora. Non lateat tamen nos causam læsionis digestiuae esse malitiam complexionis cerebri cum materia in isto patiente, & adhuc hæc habet causam magis remotam quæ est mala complexio epatis a causa calida.

Quod autem hic catarrhus magis ad calidum declinet, adsunt signa in patiente, Primum est, quod dixit serapio in suo breuiario per hoc uerbum. Scimus quod catarrhus est ex caliditate, cum est igneus rubore inficiens faciem, & nares, & caliditas uehemens, & acuitas eius quod currit, & de hoc etiam loquens Auicenna tertio canone, dixit signa eius caliditatis sunt rubedo faciei, & oculorum, & mordicatio eius, & subtilitas eius, & caliditas tactus eius, & quandoque sentitur acuitas in gutture eius, & sputum ad citrinitatem quandoque declinat, & opilatio in naso aliquando euenit, propter hæc omnia ista magis apparentia in patiente isto moti fuimus ad concedendum catarrhum suum declinare ad calidum, qui catarrhus ad membra pectoris præcipitatur, unde anhelitus, incrassatur ex continua attractione aeris frigidi & multotiens patientem istum deducit ad difficultatem anhelitus, quæ est quidam modus asthmatis, Et hæc sint de naturali complexione patientis, & de dispositione præter naturam, qua molestat, & de signis, & causis eius dicta.

De signis uero prognosticis dicam, quæ a Doctoribus conceduntur. Dixit Galenus, de tuenda sanitate intemperatæ naturæ capitis necesse est, ut multas superfluitates generent, ex quibus fiunt nocumenta membris subiectis, &

Dixit

Dixit, & fit catarrhus, causa multorum languorum & uari-
 rorum secundum uarietatem organorum ad quæ distil-
 lando prouenit, si enim ad uentriculos cerebri distillaue-
 rit epilepsiam, uel apoplexiam faciet, & si ad nares cori-
 zam uel polypum, & si ad palatum alcholam, & si ad gin-
 giuam ipsam latefcit, & corrodit, & dolorem dentium in-
 ducit, & eorum putrefactionem & casum, & si ad aures,
 surditatem, & quandoque dolorem, & apostema facit, &
 si ad oculos dolorem eorum, uel ophthalmiam facit, & si
 ad guttur raucedinem, & anginam causat, & si ad stoma-
 chum nauseam, uomitumque prouocat, dolorem, & ali-
 quando fluxum perniciosum, & si ad pulmonem tussim
 eruat, & aliquando cum raucedine, aliquando cum aposte-
 mate, & si ad pectus, & ad pulmonem distillauerit asthma
 causat, aut sputum sanguinis, aut phtisim, aut pleuritidē,
 si uerò ad cor distillauerit plerumque, & subito suffocat, &
 si in capsulam cordis passionem cardiacam parat, & si ad
 spinam, quam uocant, uertebras luxat, & gibbos facit, & si
 ad nervos paralytim, & arthriticam passionem parit. Qua-
 re corpus ipsum totum disponit ad diuersas, & innumera-
 biles ægitudines. Quapropter cura catarrhi est sollicitan-
 da, & non negligenda neque a patiente, neque a medico
 operante, cum in breui temporis spatio corpus in iam di-
 cta genera ægitudinum posset cadere.

Curatio igitur catarrhi huius nobilis uiri quinque re-
 mediorum generibus perficitur. Primum est debitum re-
 gimen in sex rebus non naturalibus. Secundum est dimi-
 nutio materiæ facientis catarrhum. Tertium est æquatio,
 uel digestio ipsius. Quartum est euacuatio completa si
 possibile fuerit materiæ facientis catarrhum. Quintum est
 corroboratio cerebri & membrorum mandantium ad ip-
 sum, ut fumos, uel humores non recipiat, & receptos con-
 sumat, uel exterius expellat.

Primum igitur completur in euitatione causarum ex-
 trinsecarum

trinfecarum catharrum generantium, & primo in euitatione aeris excessiue caliditatis, propter quod non occurrat aeri, tempore æstiuo, sub radiis solaribus, capite denudato, nec alio non nisi necessitate urgente, & sic intelligatur de aere quomodolibet excessiue calido, sicut est aer hypocaufti, uel balnei. Et quoniam ab utraque qualitate patiens maximè alteratur, & læditur, ideo caueat ab aere excessiue frigiditatis. Quapropter ei standum non est sub radiis lunæ & maximè cum intrant per locum angustum, magis enim imprimunt, ut per fenestram. Caueat quoque à uento meridionali calefaciente, & à boreali in frigidante quantum possibile est, ut uoluit Auicenna quinta terti, & Mesue, capite de catarrho. Vitet quoque aerem nebulosum humidum & frigidum, & calidum excessiue. Quapropter his in aere dispositionibus existentibus si possibile est, ad eum non se exponat, sed moretur tunc temporis in cubiculo quod situm sit inter duo solaria & temperetur aer illius in actiuus, ad siccum tamen aliquantulum declinans & ad frigidum remissum. Quòd si fuerit tempus excessiue caliditatis, irroretur cubiculum cum aqua, & aceto, cum aqua rosata, cum aspersione foliorum uitis, uel salicum, uel ponatur una de globulis infra scriptis super ignem, ut Reci. sandalorum citrinorum, sandalorum alborum, corallorum rub. sem. acetosæ, sandaracæ. ana. dra. med. camphoræ scro. ii. cū mucilagine dragaganti fiant globuli, unū tamen aduertendo, quòd si tunc temporis fuerit eius capitis repletio caueat ab his aromaticis euaporatiõibus, & odoramentis, nocent enim magis replendo caput, ut uoluit Hippo. dum dixit. v. aphoris. xxviii. suffitus aromatū &c. & Mesue, in cap. de cura sodæ, sic igitur custodiatur iste patiens, maxime à contactu calidorum acti, ut ab aere calido, à mora sub sole, à mora prope ignem, caueat quoque ablutiones, & emplastra calefacientia.

De somno autem, & uigilia, sit eius somnus paucus,

bonu

LL

cum

cum enim prolongatur somnus humiditatibus replet caput, caueat a somno supra repletionem, quoniam est impedimentum digestionis cibi in stomacho, ideo tantam trahit moram cibo assumpto antequam dormiat, ut conuenienter cibus descendat ad fundum stomachi, in quo perficitur digestio, caueat quoque a somno diurno. Dixit enim Auicenna prima tertii, diurnum somnum ad reumatismos præparare, & non iaceat supinus, quoniam tali situ calefit uena chilis per spinam transiens, propter quod fit multa uaporum eleuatio ad cerebrum addendo causæ catarrhi, dormiat etiam super latus, ut dixit haly. & non supinus, ne forte materia descendat ad pectus. Caueat quoque tempore somni a fumo, a uento, a radiis solis, & lunæ, nocent enim hæc addendo causæ catarrhi, & consulo omnino, ut tempore somni dormiat capite satis cooperato, & bene eleuato membris etiam satis coopertis, & calefactis, quoniam frigiditas ipsorum magnum communicat nocumentum ipsi cerebro, ut fuit sententia Aristot. secunda particula problematum, problemate uigesimo sexto. Caueat quoque a dormitione in locis terrenis humidis, & in antris, & in quibus aer non euentatur, est enim nociuum ualde.

De inanitione, & repletionem, dico, quod repletio in isto uiro est multum noxia, & per oppositum inanitio est utilis, & uniuersaliter ieiunet, nisi ieiunium perducatur ipsum ad inflammationem membrorum, quæ uitanda est in ipso patiente & ideo dixit Auicenna prima tertii, capite de catarrho sitiatur, & famem patiatur, & uigilet quantum potest.

De exercitio autem, & quiete, dico, quod motus inferiorum membrorum, qui fit per compressionem membrorum per fricationem ut spatularum brachiorum, & crurum, & cucurbitarum in ipsis appositio est ualde utilis. Dixit enim Auicenna quod motu membrorum inferiorum attrahuntur materiæ ad inferiora, propter quod

uel aufertur, uel leuatur catarrhus, unum tamen aduertat, ut hæc non fiant super repletionem, sed euacuatis superfluitatibus primæ, & secundæ digestionis, & maxime mane, potiusquàm uesperis, consulo etiam, quod post exercitium inferiorum membrorum, & superfluitatum emissionem, ut leuiter caput pectatur, uel leuiter fricetur cum panno aspero, his enim fit resolutio materiæ existentis in capite, & cerebri robur. Caueat quoque ab omni laborioso, & forti exercitio, & maxime membrorum superiorum, ex forti enim exercitio totius corporis calefit corpus, addens ad maiorem liquefactionem materierum existentium in cerebro, forti quoque fricatione capitis fiet maior attractio materierum ad caput, quam sit resolutio materiæ præsentialiter existentis in capite.

De coitu, cum etenim coitus sit aliquale exercitium, aliquando in isto patiente confert, sit tamen moderatus, & non superfluus, & non fiat nisi celebrata secunda digestionem in epate, & pro parte tertia.

De accidentibus autem animæ, gaudeat, & lætetur, irasci enim, & tristari nocet, dixit enim Galenus, tertio artis medicæ loquens de passionibus animæ uerbum istud, exterminant enim hæc nostra corpora, & eam, quæ secundum naturam consistentiam permutant.

De cibo autem, & potu, in quibus consistit magna pars curæ, dico quod cauendum est ab omnibus cibis inflammabilibus, & uaporabilibus, propter quod omnes species calidæ sunt ei nocuæ, quæcunque adhuc multum dulcia sunt, & pinguia, & flatuosa sunt ei prohibita, ut butyrum, lac, & carnes pingues. Caueat etiam a frigidis multum, & humidis, ut sunt omnia genera fructuum, betæ, & spinachia, & huiusmodi. Quod si esset tempus æstiuum & maxime inflammationis non dedecet aliquid de talibus sumere.

Vitentur etiam quæcunque amara, & salsa sunt, & acria

& multum acetosa, uiscosa etiam, & cartilaginosa non conueniunt, & sic caseus, pisces, & omnia lacticia sunt euitanda. Pisces tamen parui de libero mari, uel in arena habitantes, maxime in æstate, conueniunt, omnia quoque leguminum genera sunt sibi prohibita, facile in flatum uertuntur, & ad caput euaporant. Panis eius conueniens sit de flore farinae non sit recens, neque calidus ad minus duorum dierum ptisana & hordeo, ex zea, uel ex frumento est cibus ei conueniens. Oua recentia cocta in aqua, & aliquantulum alterata cum modico cinnamomi ei conueniunt. De carnibus eius. Carnes non sint nimium propinquæ generationi, quare nocet ei caro uituli, uel agni unius mensis, quare in hyeme conueniunt sibi carnes castrati, & in æstate carnes uituli. Carnes quoque paruularum auium montanarum, ut perdicum, & similia sibi conueniunt. Carnes quoque pullorum bene conueniunt, & turtures in hoc præcipuam habent utilitatem, uidentur pipiones, quoniam sui caliditate euaporant ad caput ipsum replendo.

De fructibus conueniunt uuæ passæ, & aliquando amigdalæ & pineæ tempore hyemis concedi possunt, non tamen in frequenti usu propter causam euaporationis comedat quandoque pira, & cocta post cibum, si enim coctæ fuerint sunt notabilis iuuamenti, si parcè sumantur. Ex oleribus etenim conueniunt attriplices, maluæ, & cucurbitæ conditæ cum oleo amigdalorum dulcium, & cum iure pullorum, & aliarum bonarum auium. De uino dico, quod omne uinum potens ab eo omnino est dimittendum uinum etenim mediocre caput replet, quanto magis & potens. Vinum etiam mediocre addit in causam, caliditate epatis, tanto magis, & potens, & epatis caliditas non absoluitur à causa catarrhi in patiente. Dixit enim Mesue, capite de catarrho uerbum istud, fiat diminutio potuum, & ciborum, suple tu in catarrho, & prohibi-

tio uini omnino. Et dixit Auicenna prima tertii, ut impleatur cura indigetur repulsione fastidii, & non impleatur uenter eorum uino, sit igitur absolute parcitas in potu uini si expedit patientem ex consuetudine bibere. Sit ipsum uinum in colore, & substantia mediocre, uel album remissæ uinositatis. Quòd si inueniat patiens uinum medium in colore quod cisiolum dicitur merito conuenientis astrictiois magis conueniret, & sit omne uinum quo utitur mistum aqua plus, & minus secundum diuersitatem uini, & temporis, & consuetudinis. Caueat à potu uini post cibum uesperis maxime, ipsum enim ultra hoc, quod impedit digestionem euaporat ad caput ipsum replendo, & hæc de primo remediorum genere consistente in regimine dietæ obseruandæ ab ipso patiente, dicta sint.

Secundum genus in actu curatiuo huius catarrhi est minoratio materiæ facientis ipsum, ne sui abundantia, & multitudine deducat patientem ad pessimum lapsum, ut ad suffocationem, uel ad aliam ægritudinem superius memoratam. Cui succurremus, uel cum phlebotomia, uel cum euacuatione, cum pilulis, aut alio pharmaco. Cū phlebotomia quidem si fuerit expediens, ut si cum catarrho patiens sentiat puncturam in mamillis, uel in costis, uel in lateribus significans ex hoc, quod materia fluit ad illum locum, nam ubi dolor, ibi ægritudo, ideo succurratur cum phlebotomia, ne ibi fiat apostema. Quapropter consulo, quòd si patiens in aliquo tempore futuro perceperit huiusmodi dolorem, uel in gutture, uel in locis prædictis, ad prohibitionem Apostematis in eis catarrho existente calido, sicut est, faciat minutionem leuem ex basilica dextri lateris, remittetur enim sanguinis, & bilis ebullitio in epate, propter quod remittetur euaporatio calidorum ad caput, & minorabitur causa faciens catarrhum. Si uero phlebotomia non fuerit expediens,

expediens, ut nulla prædictarum conditionum stante, consulo, quod tempore in quo magis molestatur catarrho, assumat euacuationem minorantem materiam catarrhi. Ut Recip. Mannæ electæ, cassiæ optimæ nouiter tractæ ana. drach. vi. Ellectuarii succi rosarum, ellectuarii de dactylis ana. drach. i. misce, & fiat bolus cum zuccharo, quem bolus assumat uesperi cum ibit dormitum præcedente leuicæna, & si uoluerit medicinam in forma pillularum assumat has pilulas eadem hora, ut Recip. pilularum aurearum, scropul. ii. agarici trociscati, scropul. i. misce, & cum syrupo uiolato fiant pilulæ numero quinque. Quantum enim ualeat agaricus capiti, & pectori omnes medici sciunt.

Tertium completur contra operando causæ facienti catarrhum in isto patiente, & quia catarrhus est calidus, & causa calida, ideo occurrendum est utrique cum frigidis. Quare minorata materia digeratur residuum materiæ remanentis cum syrupis ad frigidum declinantibus, & maxime in temporibus, in quibus patiens consuetus est purgari, ut bis in anno scilicet, in uere, & autumno. Sit igitur syrupus talis. Recip. syrupi rosati infusione rosarum siccarum, syrupi de iuiubis, mellis rosati colati, ana Vnc. med. Aquarum acetosæ, tusfilaginis endiuia. ana. Vnc. i. misce. Vel sic. Recip. syrupi de succo acetosæ, syr. mirthini. ana Vnc. i. aquarum plantaginis, cicorii. ana. Vnc. i. & med. misce, & continuet alterum horum syruporum per sex dies, & quia patiens conqueritur moltotiens de difficili exitu sputi a pectore ideo consulo, ut omnibus diebus, quibus in mane assumit syrupum, assumat uesperi cum ibit dormitum. Vnc. iiii. decoctionis iuiubarum, dulcis radicis rasæ, capillorum ueneris, uuarum passarum, cum zuccharo, & non solum his diebus hac decoctione utatur, quinimmo consulo, ut omni mense ad minus per sex dies prædicta decoctione utatur uesperi cum ibit dormitum.

Facta igitur digestionem in materia cum syrupis & decoctione

Etione prædictis ad quartum remediorū genus transeun-
 dum, quod est euacuatio completa materiæ facientis catar-
 rhum, & hæc completur & phlebotomia, & purgatione
 per pharmacum, phlebotomia equidem, si fuerit expe-
 diens, id est si adfuerint conditiones committendæ phle-
 botomiæ in catarrho datæ ab Auicenna prima tertii, & à
 mesue capite de catarrho, & sit phlebotomia euacuatiua
 ex cephalica dextri lateris, quæ e directo euacuat à capite.
 Quod si phlebotomia non fuerit expediens exhibeatur
 medicina hæc respiciens caput, & respiciens pectus de quo
 concoqueritur, respiciens epar, quod maxime in causa ca-
 tarrhi est, ut Recip. Diacatholiconis, mannæ electæ, ana.
 Vnc. med. agarici electi drach. i. zinziberis grana. vi. Reu-
 barbari electi, drach. i. spicæ. grana. v. ellectuarii succi rosa-
 rum. drach. i. & med. Ellectuarii de dactylis. scropul. ii. in-
 fundatur Agaricus cum suo correctiuo in oximelle simpli-
 ci per. ix. horas, deinde fiat fortis expressio, & omnia si-
 mul cum decoctione pectorali dissoluantur, & fiat potus,
 non addo aliquam speciem mirabulanorum, quæ in casu
 conuenirent, propter lapsum pectoris, & timorem asth-
 matis, & difficultatem anhelitus, de quibus conqueritur.
 Quod si uoluerit in forma pilularum, facta digestionem as-
 sumat has pilulas. Recip. pilularum aggregatiuarum scro-
 pul. ii. pillularum assaiaret. Agarici trociscati ana. scropul. i.
 misce cum syrupo uiolato fiant pilulæ numero. vii. uel Re-
 cip. pilularum aurearum, drach. i. agarici trociscati scrop.
 i. misce cum syrupo uiolato fiant pilulæ numero. vii. quas
 assumat post dimidium noctis, & superdormiat quousque
 inceperit earum operatio, uel usque quo lux diei apparue-
 rit. Temporibus uerò intermediis, quibus non assumit
 ordinariam purgationem, consulo, ut ad minus in quoli-
 bet mense sex uicibus alternatis diebus noctu, cum ibit
 dormitum, assumat unam de infra scriptis pilulis, ut Reci.
 agarici optimi, & electi, Turbith boni, & gummosi, reubar-
 bari.

bari optimi, mastice ana. drach. med. zinziberis spicæ ana.
grana. iii. puluerum ieræ simplicis. drachm. i. mirabulano-
rum citrinorum, scropul. i. Diagridii. grana. v. puluerizan-
tur omnia subtiliter cum syrupo rosato, fiat pasta pilula-
rum, dosis est pilula numero. i. scropul. i.

Completa uerò euacuatione, uenit ultima intentio, quæ
est confortatio cerebri, & membrorum mandantium ad
ipsum, confortatur autem cerebrum, & epar demandans
ad ipsum in causa calida tam per ea, quæ intus assumun-
tur, quàm per ea, quæ exterius applicantur, per ea, quæ in-
tus assumuntur, ut cum isto ellectuario, in quo est uirtus
corroborans cerebrum, & retētrix fluxus materiæ ad infe-
riora, & pectus largum efficiens, & sputum ut absque ne-
gocio educatur adiuuans, ut Recip. specierum tria sandalo-
rum, puluerum diadraganti frigidi, puluerum diapapaye-
ris, penidiorum ana. Vnc. med. pulmonis uulpis pulueri-
zati drach. i. misce, cum zuccharo optimo quant. suffic. fiat
ellectuarium, de quo assumat ad quantitatem castanæ, cō-
tinuè per duas horas ante cibum, post cibum uerò assidue
utatur comestione coriandrorum præparatorum, cum ue-
rò ibit dormitum, cottidie uesperis retineat in ore unam
de pillulis, ordinatis pro hominibus delicatis, ut Recip.
sem. papaueris albi, sem. portulacæ, sem. lactucæ, candi, pe-
nidiarum, dragaganti infusi ana. drach. i. opii, croci, ana.
scropul. i. fiant pilulæ, cum miua cydoniorum, quas non
solum tempore somni, quinimmo & tempore uigiliarum
retineat in ore, hæ etenim ualent ad defensionem, & ad
præseruationem partium subiectarum a reumate. Consu-
lo etiam, ut fere omni hora diei assiduet assumptionem
unius cochlearis infra scripti iulep. Vt Recip. aquæ endi-
uiæ, aquæ acetosæ, aquæ uiolata, aquæ capillorum uene-
ris, aquæ ungulæ caballinæ, ana. lib. med. zucchari optimi
quant. suffic. & fiat iulep. assidue quoque utatur retentio-
ne zucchari candi in ore, succum quoque dulcis radicis

non negligat, per ea uerò, quæ exterius applicantur ut cū
 facculis commissuræ coronali applicitis, in quibus ponan-
 tur flores camomillæ, rosæ, flores nymphææ, coralli rubei,
 modica quantitas sampfuci, & flores stæcados arab. Et ex
 eisdem possunt fieri pulueres apponendi commissuræ co-
 ronali noctu, quando ibit dormitum, & ex eisdem potest
 fieri ebulitio in lixiuio dulci cum quo potest caput abluere,
 roboretur quoque epar cum applicatione epithematis,
 & inunctionis, ut Recip. Aquæ rosatæ, aquæ epaticæ, aquæ
 endiuia, aquæ absinthi ana. Vnc.iiii. sandalorum rubeorū,
 sandalorum alborum, corallorum rubeorum, rosarum ru-
 bearum ana. drach. i. spodii. drach. med. spice gran. vi. aceti
 optimi. Vnc. i. & med. misce pro epithemate epatis, tritis
 terendis, facto uerò epithemate ungatur epar cum hoc un-
 guento. Recip. unguenti sandalini, infrigidantis Galeni. añ.
 Vnc. med. misce.

Quòd si hæc non contulerint consulo de altero trium
 remediorum, uel de Ducia, qua perfundatur capitis eius
 commissura, cum conuenienti aqua naturali, ut est balneū
 de aqua, uel consulo de cauterio facto in commissu-
 ra coronali, laudato ab Auenzoar in libro Thei-
 sir, uel de uesicatione post aures. Et in
 quolibet istorum trium remedio-
 rum bene me reperii. Quare
 & cet.

FINIS.



MM

AD CATARRHVM FRIGIDVM,
& affectiones, quæ ipsum catarrhum
consequuntur.

Pro nobili domino Bartholomæo Vanuglio
Lucensi,

Consilium XIII.



Onsueui ego, uir Nobilis, in consulendo
super adeptionem sanitatis corporis ægro-
tantis, memorari, quæ a Galeno in prima
particula de ratione uictus acutorum dicū-
tur: his enim fiet mens, & iudicium medi-
ci certius in pronunciâdo ueritatem de re,
his quoque promouebitur infirmus erga medicum, ut ob-
tēperet præceptis & uoluntati ipsius medici, ut dixit Hip-
pocra. primo prædictionum & Halyabas in principio pra-
ctica. Tria igitur sunt, super quæ discurram, ut si deo pla-
cuerit Nobilis hic ad sui pristinam sanitatem redigatur.
Primum est naturalis complexio de genere rerum natura-
lium, quæ dominatur in toto, & in principalibus mem-
bris sui corporis, propter illud uerbum Galeni primo de
ratione uictus acutorum, & non intromittas te ad curam
alicuius ægritudinis, nisi prius pensites complexionem
ægrî, facile enim posset error contingere in modo curæ.
Secundū est essentia ægritudinis, & eius causæ, & eorū quæ
annectuntur illi accidētū, iuxta processum Galeni. III. artis
medicæ. Tertium est modus curæ. Quantū ad primum no-
bilis uir, complexionis calidæ est in actiuis. In passuis ue-
rò sicca propter quod ipsum naturaliter complexionis
cholericæ esse asserimus, quantumcunque fortè pedeten-
tim facta quadam, & successiua mutatione ex longo tem-
pore, & forte ex usu mali regiminis fuerint, nunc tempo-
ris in

ris in eo multiplicatae causae praeter naturam contrahentes ipsum ad complexionem praeter naturalem frigidam, & humidam, propter quae alias tempore suae pueritiae, uel iuuentutis pronus erat magis ad aegritudines cholericas: nunc autem, & etiam aduentante aetate consistentiae, pronus est factus ad aegritudines phlegmaticas. Comprobamus autem naturalem eius complexionem cholericam fuisse, primo ex relatione sui, & ex signis, quae potui ego ex literis suis comprehendere: quaedam etenim illius signa sumuntur ab habitudine corporis: Quaedam autem ab operibus, in quae cum facilitate, & assuetudine quaedam ipse aptus est exire, ab habitudine corporis, non pinguis etenim est satis, latas habet uenas, capilli equidem ad nigredinem, uel parum ad flauum declinantes, non immunes a quadam crispitudine, & tunc temporis color faciei rubeus erat non mundatus a quadam citrinitate, Ab operibus uero, quoniam iracundus, superbus promptus ad iram. &c. Quae omnia declarata sunt, in secundo artis medicae a Galeno, & ab Auerroee quarto colliget. Regulator autem ego in confirmando haec signa complexionis naturalis in eo propter signa, quae bene praemeditavi in eius filio, nutu cuius supra morbum sui Nobilis patris consilium hoc composui. Quod si uerum sit, ut scribitur tertio artis medicae, naturalem complexionem posse permutari ab eo quod fuit a primis spermatis, credam dictis suae nobilitatis, complexionem scilicet, suam nunc temporis esse a dominio phlegmaticam, cum ex usu indebiti regiminis multiplicantis phlegma pedetentim, succesuue, & longo tempore hanc contraxerit sibi complexionem, propter quam maiorem acquisiuit aptitudinem ad casum in diuersas aegritudines a uitio phlegmatis pendentes, si uero immutabilis sit complexio naturalis ab eo quod fuit a sui prima generatione, Dicam ipsum accidentaliter acquisiuisse supra complexionem naturalem ex usu mali regiminis

in sex rebus non naturalibus quandam complexionē præter naturam dirigentē ipsum in uarios lapsus uitio phlegmatis. Epatis uerò complexionē naturalem, ut ex relatione sui, & medicorum suorum potui comprehendere, in actiuis quidem calidam, in passiuis uerò siccam naturaliter pronuntiabo credo enim in eo existere signa talis complexionis epatis, quæ à Galeno in secundo artis medicæ dicuntur. Vt amplitudo uenarū, pili in eo, qui sub hipochōdriis sunt multi: sanguis paucior est, & crassior, & bilis flaua in eo secundum plurimū aderat, & in hora consistentiæ multiplicabatur atra bilis, & uenæ non pulsatiles sunt amplæ, & duræ, & similiter est dispositio totius corporis.

De cerebro autē, quòd si regulor à dispositione naturali totius, & epatis, non possem dicere, ipsum esse in actiuis nisi complexionis calidæ, & sic puto ipsum fuisse in ætate suæ adolescentiæ, & principio consistentiæ: Cum enim tūc temporis erat eius naturalis complexio cholericæ, cum caliditate epatis, ut & ipse profitetur: cui in hoc fidem adhibeo: nō poterit esse quin cerebrum tanquā caminū fumorum calidorum receptiuum caliditatem ei comunicatam, & à toto, & ab epate, recipiat. propter quam caliditatē continue agentem in humidum cerebri, ipsam aliquando, præparat eam ad descensum reumatismi, quod Reuma forte frigidum est, quantumcunque motum à causa calida. Et quia complexio præter naturalis naturalem cōplexionem potest corrumpere ei contra dicens, cum ipsa ab indebito regimine in sex rebus non naturalibus fuerit adiuta, ideo si uir iste nobilis putat cerebrum suum esse complexionis frigidæ, non audeo istud dicere esse ex naturali sui complexionē, cum contrarium euenire contingat ex contra operantibus, sed ex his, quæ præter naturaliter contingunt nostro corpori, frigiditas quædam præternaturalis acquisita est cerebro illius, quam sensibiliter percipit: nisi fortè hæc frigiditatis perceptio fiat ex raritate pororum cutis capitatis

tis, quā facilis redditur ingressus aeris ad cerebrum, quantumcunque cerebrum sit complexionis calidæ, caliditate rarefaciente etiam meatus ipsius capitis, propter quod manifeste apparet ipsum lædi à frigidis, iuuari uerò à calidis moderato usu. Credam igitur illi cerebrum suum nunc tēporis factum esse complexionis frigidæ, propter quā multiplicantur per uiam reumatismi superfluitates multæ ad inferiora ruentes, uaria ægritudinum genera causante frigiditatis uitio.

De cordis autem complexione non dicam, tanquā de non seruiente proposito nostro, cum per illius literas de nullo cordis lapsu torqueatur.

De stomacho autem cum sit membrū comune toti corpori deseruiens, propter cuius prauitatem deprauatur totum corpus, & partes illius, ideo de eo dicam esse complexionis frigidæ in actiuis, humidæ uerò in passiuis, est enim malæ digestionis: celebratur autem mala digestio ex frigido ut diminutio. IIII. metheororū, & credo ipsum plus appetere de cibo, quā possit ipsum digerere, sufficiens quoque ratio & eius frigiditatis, & eius diminutæ digestionis habetur ex decursu ad ipsum multarū superfluitatum, per uia reumatismi deuenientium, replentes enim humiditates ipsæ pituitosæ ueniētes ad ipsum stomachum, naturalē eius uirtutem obtundunt, propter quod ipsæ humiditates relictæ ab opere naturæ putrefiūt, à quibus putrefactis inde eleuātur mali uapores ad caput replentes ipsum, qui à frigiditate cerebri iterū cōdēsati cōuertūtur in aquā, quæ à sui grauitate, & ui naturæ expulsiuæ cerebri iterū ruit materia illa ad inferiora, malas dispositiones causans in ipsis. Euenit autē hoc, quòd stomachus ē cā nocumēti cerebri, & cerebrū est cā nocumēti stomachi, iuxta modū Arist. in posterioribus analeticis, quòd pluuia est cā terræ deplutæ, & terra depluta est causa pluiæ, & hoc de primo, & de complexione totius, & partium corporis ægrotantis.

Quantum

C O N S I L I V M

Quantum ad secundum Nobilis uir patitur principalem sui dispositionem præter naturam, quæ est defluxus humiditatum à cerebro ad partes sibi suppositas, quæ sunt oculi: stomachus: pectus, & iuncturæ. Et propter principalem dispositionem ponimus ipsum in capitulo catarri. Et propter primam annexam ponimus ipsum in capitulo de imaginibus. Et propter secundam annexam ponimus ipsum in capitulo Asthmatis. Et propter tertiam in capitulo debilitatis digestionis stomachi. Et propter quartam in capitulo doloris arthritici. Et dixit Galenus, in tertio artis medicæ, quod omnis ægritudo habens causam pendet ab esse causæ, remoueturque ex remotione causæ, & cet.

Primo igitur decurremus supra cognitionem causæ catarri in isto nobili uiro, secundo uerò supra cognitionem causarum eorum, quæ annectuntur catarrho ut disponamur ad remotionem illarum causarum, cum loquemur de cura dispositionum præter naturalium iam dictarum. Est igitur catarri causa in patiente isto duplex. Vna equidem extrinseca, à qua mota est, & multiplicata humiditas in cerebro, & fuit impressa qualitas ab aere transeunte per caminum, sub quo in suis consuetis operationibus patiens multo tempore degit, & nisi fuisset præparatio intrinseca propter causam, intrinsecam operantem præter naturaliter in cerebro ad defluxum humiditatum ab eo ad inferiora putarem huius catarri causam solum fuisse extrinsecam, sicut & ipse præopinatur. Sed cum ex remotione causæ extrinsecæ contingat effectum iu breui remoueri, ut ex tertio artis medicæ habetur, opinor cum ægritudo hæc longam temporis moram in patiente contraxerit, ipsam habuisse originem ab intrinseca causa quam iuuat tamen in suo opere extrinseca causa. Propter hoc igitur dico, quod catarri causa in patiente intrinseca fuit duplex. Vna, humiditas in cerebro congesta per uiam indigestionis nutrimenti

menti ad ipsum delati: Cuius humiditatis superfluitas indigesta in ipso remanet, & multiplicatur una uice post aliam. Et hoc est quod dixit Galenus quinto, de accidenti, & morbo, & Auerrois quarto colliget, per hoc uerbum, sic accidit catarrhus cerebro ex defectu uirtutis digestiuae ipsius, sicut accidit lienteria stomacho ex defectu suae digestionis. Congeritur enim humiditas in cerebro ex indigestione alimenti ad ipsum delati. Quare laesio facta in cerebro ex malitia complexionis cerebri, cum materia puto fuisse unam de causis catarrhi ipsius patientis. Cuius autem complexionis sit materia illa congesta in cerebro, & in actiuis, & in passiuis licet apud me sit aliquale dubium, credendo tamen relationi patientis ex literis illius mihi delatis mala illa complexio peccantis materiae in cerebro frigida, & humida est, adsunt autem signa denuntiantia frigiditatem & humiditatem materiae catarrhalis, quia non sentit calorem in fronte, neque in facie notabilem, & quod exit frigidum est crassum, & uiscosum, aliquando quidem aquosum tale factum ab expressione à frigido in cerebro, uel ab eleuatione caliditatis ad superiora ad inferiora eliquantis, & credo illius faciem albam esse, & pallidam, & quod paroxysmi defluxus materiae catarrhalis non ita frequentantur, sicut si materia calida esset, & alia etiam puto adesse signa frigiditatis, & humiditatis materiae dicta tertio canone, ab Auicenna in proprio capitulo de catarrho. Et ab aliis, ut capitis grauitas, dolor grauās, ac in facie plethorica habitudo, & maxime tempore illo, quo mouetur paroxysmus catarrhi. Et iterum aliam puto esse causam catarrhi adiutam à prima, & primam facientem, quae est, uel humor, uel uapor ascendens ad cerebrum, aut ex toto corpore, aut ex stomacho, qui humor, si humor est in ipso cerebro remanens descendit dissolutus in membra. Si uero uapor ipse ascendens ad cerebrum non resolutus frigiditate cerebri congelatur, & in aqueam materiam conuertitur,

titur, qui post congregationem eius ad inferiora descēdit, & iterum opinor aliam intrinsecam causam concurrere in genere causæ antecedentis, promouentem primam coniūctam, & excitantem secundam, quæ est epatis nimia caliditas, quæ cum sit natura leuis attingens cerebri substantiam, dissoluit congestam humiditatem in eo, & ipsam defluxui ad inferiora præparat. Et hæc de causis principalis suæ dispositionis dicta sint. &c.

Patitur quoque & idem nobilis uir apparitionem imaginum diuersorum colorum ante oculos, quæ non sunt operationes corruptæ uirtutis uisivæ, sicut testatur Auer. III. colliget, cum dixit accidit ut uideatur oculus uidere omnes colores secundum unum modum, scilicet, rubeos, aut citrinos, aut aliter distinctos. Huius autem uisionis imaginum causam puto non esse aquam, quoniam imaginationes, quæ ad aquam perducunt, non stant sex mensibus cū incolumitate oculi, immo non cessant gradari in conturbatione uisus, donec descēdat aqua cum eis subito. Et hoc est ut uoluit Galenus quarto, de interioribus, & Rasis secundo continentis: sed puto apparitionem hanc, imaginum esse ex duabus causis, prima propter prauitatem complexionis oculi, secunda propter comunitatem a stomacho, propter cuius diminutam digestionem factam in cibo, uapores eleuantur ad oculum, perturbantes ipsum imaginationes illas causantes, & credo istud esse uerum, quia opinor in eo augmentum, & diminutionem imaginum secundum additionem, & diminutionem uaporis eleuati a stomacho.

Et iterum secundo patitur dispositionem annexam catarrho, qua ipsum posuimus in capitulo asthmatis, causa cuius est mala complexio frigida cum materia multa, maxime phlegmatica existente in toto corpore, uel in aliqua parte parata fluere ad membra anhelitus, & maxime ad pulmonem. Et præcipue cum materia existens in capite, ad
cuius

cuius asthmatis paroxysmum maxime mouetur tempore
 initii ueris, & principii autumnii. In uere autem propter
 dissolutionem factam in humiditatibus a calore eius, &
 impotentiam resolutionis earum. In autumno uero pro-
 pter complexionem factam a frigiditate eius, a principa-
 li etenim dispositione catarrhali materiae idem fluentes a
 capite ad membra spiritalia, ut ad pectus, pulmonem, &
 ad cannam eius, ibi crassescunt meatus, quæ obstruētes dif-
 ficultatem in hanelitu causant, tussimque molestant tan-
 diu durantem, quousque ab illa materia mundificata fue-
 rint membra anhelitus.

Et iterum patitur. Tertiam dispositionem annexam
 catarrho, qua ipsum posuimus in capitulo debilitatis sto-
 machi. Huius autem debilitatis stomachi causam puto
 esse malam complexionem frigidam cum materia, cum
 qua multiplicatur, phlegma uiscosum in orificio stoma-
 chi mollificans, & confundens stomachum ipsum replen-
 do, & uirtutem sensitiuam hebetando, quæ materia phleg-
 matica in stomacho est, partim ex natura stomachi debilis
 uirtutis digestiuae existentis, partim per comunitatem a
 capite, a quo per uiam reumatismi ruunt materiae ad sto-
 machum replentes ipsum, & uirtutem sensitiuam obtun-
 dentes.

Et iterum patitur quartam dispositionem annexam,
 qua posuimus ipsum in capitulo doloris arthritici, cuius
 doloris causam puto triplicem. Prima fortitudo membri
 principalis scilicet, capitis expellentis superflua ad iunctu-
 ras, quibus superfluis posuimus ipsum in capitulo de ca-
 tarrho, & sicut catarrhus est frigidus, ita & dolores huius
 modi a causa frigida erunt, cum sint ab eadē causa. Secun-
 da causa est multiplicatio humorum frigidorum in cor-
 pore, qui humores præcipitati ad membra ignobilia tri-
 stem sensationem causantes in eis dolorem inducunt.
 Tertia causa est debilitas membrorum recipientium,

virtutis enim eorum naturalis debilitata non potens resistere receptioni eorum, minimeque potens resolvere, uel eos expellere a se in dolorem ueniunt. Et hæc dicta sint de dispositionibus omnibus præter naturam, quas hic nobilis Dominus patitur, supra quas consulendum est, ut si deo placuerit ipse ad sui salutem reducatur.

Quantum ad tertium astringam me ad curam, & primo principalis dispositionis, quæ est catarrhus, secundo uero curam dispositionum, quæ annectuntur catarrho, quibus patiens molestatur. In cura igitur catarrhi non lateat nos catarrhum ipsum frigidum esse, quantumcunque caliditas epatis aliquantulum stet in causa. Quapropter excessiue calida ei applicari non conueniunt, ne tentantes exsiccationem catarrhi, adderemus in caliditate epatis, ministranda etiam non sunt frigida, quoniam tentantes refrigerium epatis, adangeremus coniunctam causam catarrhi: sit igitur patiens aduertens ne in regimine dietæ utatur multum calidis, neque multum frigidis, ab altero enim laberetur effectus, & ab altero causa: Sint igitur mediocria in qualitatibus suis, quæ applicabuntur illi in regimine dietæ, uel pharmaci, propter quod in curatione catarrhi frigidi huius nobilis uiri, quinque obseruabo intentiones. Prima erit in debito regimine sex rerum non naturalium: & primo de aere, cui præcipio, ut aer eligatur temperatus in actiuis maxime. In passiuis uero uel formaliter, uel artificialiter inclinetur ad siccum, euitet igitur aerem excessiue caliditatis, quoniam ipse liquefaciendo nocet, excessiueque frigiditatis aerem uitet, quoniam nocet frigiditas comprimendo. Et sic quælibet qualitas in actiuis excedens præparat ad maiorem decursum humiditatum a capite, una quidem liquefaciendo, altera uero comprimendo. Uitet igitur aerem nebulosum, humidum, crassum, & frigidum, uitet uentum australem caliditate sui nocentem, uitetque borealem frigiditate sui exprimentem consulo igitur tunc temporis

temporis ipsum morari in cubiculo suo constituto inter duo solaria, habentem fenestram ad orientem, in qua tunc temporis rectificetur aer ad contrarium, non cum suffumi-
giis, ut fieri solet, quoniam fumus in casu est plurimum nocens, maxime propter dispositionem, quam habet ad asthma. Vellem igitur ipsum rectificare aerem tenendo notabilem quantitatem aromatum in cubiculo. ut cortices citri, lignum aloes, ambram, muscum, & similia. Quod si tempus extaret, quo igne indigeret, sit ignis clarus ex lignis ad calidum urgentibus, ut ex iunipero, ex lauro, & huiusmodi, propter hoc enim quod alterant ad calidum reuma ipsum desiccant, & membra pectoris a proprietate corroborant.

De motu, & quiete. Superfluous utique motus vitandus est, & omnis superflua agitatio, ipsi equidem spiritus & calor supercalesfacti liquefaciunt humiditates, propter quod parant ad maiorem catarrhi descensum. Laudo igitur leue exercitium pedibus factum, non tamen super inflammatas, quiescatque circiter per horam, anteaquam assumat prandium, prandeatque in loco temperato & non frigido. Idem quoque intelligo ante cenam debere fieri completa stomachi digestionem. Consulo quoque leues fieri fricationes in eo ut leuiter caput fricetur, & pectatur, scapulaeque, & pectus, haec enim rarefacientis, & ad resolutionem vaporum preparantis calorem naturalem roborant. Et panni quibus fit fricatio non sint multum calidi, ne caliditate attrahantur materiae ad caput, & ipsum repleant, & parent ad descensum catarrhi. &c.

De somno, & uigilia, non obseruet somnum prolixum, neque continuum per multas horas, immo non transeat ad plus spacium septem horarum. Dixit enim Rasis quarto continentis, ex longo somno accidit asthma in sanis personis, quanto magis in infirmis.

De cibo autem & potu. Consulo quod maior sit parcitas in cena, quam in prandio, ne succedente tempore quie

tis, & somni, maior quantitas uaporum eleuetur ad caput, ipsum replendo, addendoque causæ coniectæ catarrhi, non sint cibaria actualiter humida humiditate quidem aquea, sed mediocria in substantia, si quidem ea stomachus bene digerere possit. Consulo etiam, quòd omnia uaporantia calida, & acuta dimittantur, tanto magis si ipsa humida fuerint, & propter hoc uinum potens est maximi nocumenti, uitentur omnia uiscosa, pingua, & unctuosa, propter quod carnes porcina, uitulina, sunt ei multi nocumenti, & tanto magis, quanto generationi suæ sunt propinquiores: adhæreat igitur ipse carnibus castratorum unius anni maxime hyeme, & hædorum in æstate. Et de uolatilibus laudo carnes pullorum gallinarum in æstate, & caponum, fasianorum, perdicum, & cuniculorum in hyeme. Laudo etiam carnes animalium magis degentium in montibus, quia rariores sunt, quam carnes aliæ terrestres: Paludosas uero, & aquaticas in totum abiicio nisi fuerint pisces de aquis petrosis, uel de libero mari, de aliis autem quadrupedum carnibus remitto me iudicio medicorum adstantium in patria sua, consulo tamen, ut omnia cibaria ex farina & aqua contesta dimittantur, Oua inquam recentia præcipui sunt iuuamenti, decocta in testa & tenera, uel elixata ut infusa in iure, uel aqua cum butyro recenti sine sale. Voluit enim Auerrois secundo, colliget hæc esse in casu præcipui iuuamenti.

De oleribus, non laudo fœniculum, uel petroselinum, ne dilatando meatus ex cerebro materias subtiliando ad catarrhum nimis disponant. Laudarem igitur in tempore hyemis aliquas betas cum hyssopo, betonica & buglossa, in æstate uero laudarem boraginem cum aliquibus lactucis. De fructibus propter pectus prohibeo sibi fructus omnino astringentes. Amigdalæ autem passulæ sine granis, pineæ, pistacia propter pectus in secunda mensa sunt præcipui iuuamenti: uesperis autem non utatur multis amigdalis,

lis, sua enim euaporatione multum caput replent, maxime propter unctuositatem eis innatam, quam unctuositatem consulerem, ut ab ipsis remoueretur, ut securius eis posset uti, sic a cortice purgetur amigdalæ, & infundantur in aqua tepida decoctionis zucchari per tres horas deinde agitentur cum uirga, & exsiccentur cum panno lineo calefacto, & istis utatur, potus eius sit uinum medi coloris mixtum copiose cum aqua. Quod si tempus paroxismi asthmatis adesset, utatur aqua zucchari cum omnimoda uini prohibitione, & in tempore quo uinum non assumeret, laudarem ut frequentaret decoctionem factam ex dulci radice rasa & adianto cum zuccharo.

De inanitione autem, & repletionem euitet in quantum est possibile repletionem, gaudeat igitur mediocri inanitione, ex multa enim repletionem opprimitur uirtus naturalis stomachi, ut ab ipso, & a toto corpore eleuentur mali uapores replentes caput, euitetque nimiam inanitionem, quoniam ab ea resoluuntur calor, & spiritus naturales, propter quod uirtutes deficiunt a suis operationibus.

De accidentibus autem animæ. Caueat ab intemperantia omnium animæ passionum. Dixit enim Galenus tertio artis medicæ, loquens de passionibus animæ uerbum istud, exterminant hæc enim nostra corpora, & eam quæ secundum naturam consistentiam permutant, lætetur igitur moderato usu, dixit enim Auicenna in de uirtutibus cordis, ipsa enim lætitia calor roboratur, & multiplicatur, propter quod prohibetur corpus a casu in tremore cordis, & aliorum lapsuum.

Hæc igitur sint, quæ a nobis dicenda erant de ratione uictus in sex rebus non naturalibus, quæ a patiente obseruanda sunt in omnibus suis lapsibus iam dictis. Reliqua ad eundem uictum attinentia relinquo iudicio Dominorum medicorum suorum.

C O N S I L I V M

Secunda intentio in actu curatiuo huius nobilis uiri est concoctio materiae, quae est aequatio eius ad medium, quae materia quantumcunque actis temporibus beneficio plurium medicorum mota fuerit ad digestionem, ob tamen reiteratam, & continuam generationem illius materiae, opinor ipsam praeparari, & digeri debere ad minus semel in quolibet trium mensium, quoniam igitur materia peccans frigida est, eius curatio uertitur ad contrarium, Et ideo laudarem, quod omnibus tribus mensibus digereret materia ista syrupo, in quo est uirtus consumptiua materiae catarrhalis corroboratiua cerebri, & pectoris: prohibitiuaque generationis materiae catarrhalis in cerebro, Estque partim remissius caliditatis epatis, a qua non de facili potest liquefieri materia in capite, & ad descensum praeparari. Et syropus est iste. Recip. syrapi de stacade cum speciebus, syrapi de endiua, mellis rosati col. ana. Vnc. med. Aquarum betonicae salviae, cicorii. an. Vnc. i. misce pro una uice. Quod si syrumpum magistraliter conficere uelimus, ualentemque ferè ad omnem lapsum existentem in eo, sic fiat. Recip. salviae, samplici, betonicae, hyssopi, ana. Manipul. med. radicū ireos, acori, dulcis radicis rasae, foliorum & nucum cupressi, passularum mundatarum ana. Vnc. ii. mellis despumati lib. i. & med. fiat syrampus secundum artem, de quo assumantur. Vnc. i. & med. cum aquis betonicae, thusilaginis, & cicorii, sic continuando per sex dies continuos in aurora. Consulo etiam quod in diebus intermediis, in quibus fiet digestio in materia, iuuetur digestio, resolutioque materiae, & cerebri roboratio cum appositione ad palatum infrascripti electuarii ad quantitatem bonae fabae. Vt Recip. conseruae stacados, conseruae salviae, zucchini rosati, ana. Vnc. med. mitridati optimi drach. med. misce, & haec digestio materiae celebretur ab eo tempore hyemis, quod si in aestate fuerit, utatur isto syrupo, aequante materiam facientem catarrhum, remittenteque lapsum praeter naturaliter calidum
existentem

existentem in epate, ut Recip. syrupi de stæcade sine speciebus, syrupi de succo acetosæ, mellis rosati col. an. Vnc. med. Aquarum betonicae, cicorii, acetosæ ana. Vnc. i. misce pro una uice. Et continuetur sic per sex dies admodum assumptionis syruporum. Diebus uero intermediis continuet istud ellectuarium ad modum prioris, ut Reci. diacori. Vnc. i. zuchari rosati. Vnc. med. misce.

Tertia intentio est euacuatio materiae indigestæ. Facta igitur digestionem in materia cum syrupis præcedentibus, consulo, ut euacuet materiam cum ista medicina potabili ut Recip. Diacatholiconis, Vnc. med. Diasebesten, lenitiui. drach. iii. agarici optimi, & electi drach. i. & med. zinziberis salis gemmæ, ana. grana. iii. infundatur agaricus cū suis correctiuis in oximelle simplici per octo horas, uel. x. Deinde fiat fortis expressio, & omnia simul misceantur, & cū decoctione comuni florum & fructuum, cum qua bulliāt florum stæcados arab. samplici. ana. drach. ii. dissoluantur, & fiat potus, quem sumat per horam unam cum dimidia ante lucem, apparente uero luce, surgat per cubiculum leuiter deambulando clausis fenestris. Transactis horis sex ab assumptione medicinæ, assumat ius lotium cum zucharo. Ut Recip. iuris pulli sine sale Vnc. vi. zuchari duarū coctarum. Vnc. med. misce deinde uero per horam ab assumptione lotiui assumat prandium suum mediocre, & leuis digestionis, & non dormiat illo die, neque exeat domum, neque se aeri, nec uento se exponat. Quod si medicina potabilis fuerit ei abhominabilis, assumat infrascriptas pilulas eodem modo, & ordine assumptionis medicinæ. Ut Recip. pilularum cocchiarum scropu. ii. Agarici trociscati scropu. i. misce cum syrupo de stæcade fiant pilulæ numero quinque, uel Reci. pilularum assaiaret, pilularum cocchiarum, agarici trociscati. ana. scropu. i. diagridii. gran. i. & med. misce cum syrupo uiolato fiant pilulæ numero quinque. Quod si in forma boli sibi non displicuerit, capiat

piat bolum istum eodem modo, ut Recip. Mannæ granatæ electæ. Vnc. i. cassiæ nouiter tractæ. drachm. ii. ellectuarii de dactilis. Ellectuarii succi rosarum, ellectuarii indi. ana. dr. i. agarici trociscati, scropul. i. misce, & fiat bolus cum zuccharo facta, uel factis euacuationibus in materia, considerans ego continuam regenerationem materiæ paratæ ad defluxum catarrhi, consulo, & uolo. Quòd ipse obseruet assumptionem unius pilulæ de quattuor diebus, uel de tribus in tribus diebus post cænam, cum ibit dormitum, quæ sic parantur. Recip. agarici optimi, & electi, Turbith boni, & gummosi, masticis electi, Reubarbari optimi an. drach. med. zinziberis, salis gemmæ, spicæ. ana. grana. iii. Diagridii gran. viii. specierum ieræ simplicis Galeni. drac. ii. terentur subtiliter omnia, & cum syrupo de stæcade fiat pasta pilularum. In istis enim pilulis est uirtus euacuatia materiæ à cerebro, & à stomacho, & eius resolutiua. Et capitis, & stomachi corroboratiua, & pectoris mundificatiua, & membrorum anhelitus, propter quod euacuantes catarrhum, prohibebunt casum in paroxysmum asthmatis, & non lateat nos, quod & si phlebotomia sub euacuatione comprehendatur, eam tamen sub silentio pertransibo, uel quia forte non conueniens in casu istius nobilis uiri, in quo quantum est possibile debet uitari, & si conueniens fuerit, puto ipsam iam locum habuisse ex prudentia Dominorum medicorum suorum.

Quarta intentio est diuersio materiæ remanentis post euacuationes celebratas, fit autem huiusmodi diuersio non in tempore, quo ipse patitur paroxysmum asthmatis, fricationibus, uentofationibus in scapulis, & in natibus, caput purgiis, quæ fiunt per liquores attractos per nares. Consulo igitur, ut in omni mane postque steterit deambulando per unam horam post exitum suum à lecto, fiant leues fricationes in scapulis, & quandoque ibidem cum leui applicatione duarum cucurbitarum, & in natibus similiter.

militer. Consulo etiam postquã factæ erunt euacuationes & comunes, & propriæ, utatur caput purgiis a debilibus quidem inchoando & ad fortiora prosequendo, & puto istud esse conuenientissimum, euacuata materia, quia dilatando uias faciunt ad diuersionem materiæ ex cerebro. Et quia materia est frigida, primum caput purgium sit ex aqua maioranæ cum modico zucchari, attrahendo ipsam per nares semper in ore retinendo haustum aquæ frigidæ, ut caput purgium sursum tendat ad cerebri substantiam, & non per palati foramen ad inferiora descendat. Secundum sit ex succo radicis betæ. Tertium ex decoctione melanthii. Quartum ex decoctione cyclamini, & sic procedendo, secundum quod in eis inueniet iuuamentum a debilibus ad fortiora. &c.

Quinta uerò, etiam ultima intentio est resolutio materiæ remanentis, & roboratio cerebri, factis enim euacuationibus completur & cum iis, quæ intus assumuntur, & cum iis, quæ extra applicantur. Cum his, quæ intra assumuntur, ut cum conserua stæcados, cum conserua saluiæ, cum diacori, cum diamusco dulci, cum diambra, & diagalanga, cum coriandris præparatis, cum mastice, cum olibano. Consulo igitur, quod omni mense ad minus per duodecim dies, uesperis, cum ibit dormitum, transglutiat duo, uel tria grana thuris albi, uel masticis, & in hoc multotiens bene me reperii. Sic igitur assumat ad quantitatem castanæ de mixtione sequenti. Recip. diacori, diambra, conseruæ stæcados. Zucchari rosati. ana. Vnc. med. misc, & hoc etiam utatur ad minus per duas horas ante prandium, consulo quoque, ut in nocte dormiendo, uel uigilando continue retineat in ore unam de pillulis infra scriptis, ualent enim in catarrho frigido, & ad tussim ex eo, ut Recip. styracis calamitæ, nucis cupressi, thuris, masticis, ladani, succi glycirizæ, ambra grise. ana. drachm. i. passularum mundatarum anu cleis, OO drach.

C O N S I L I V M

drach. i. & med. candi. drach. iii. conficiantur pilulæ cum syrupo de stæcade ad formam lupini, ea uerò, quæ exterius applicanda sunt in roboratione cerebri, & resolutione residui materiæ, est pomum factum ex ambra, quod continue ipsum in manibus deferendo odoret, cuius recepta est. Recip. nucis cupressi, styracis calamitæ, ambra, nucis myristicæ, thuris, ladani. ana. drach. ii. moschi, ligni aloes, ocimi, ana. drach. med. ex his fiat pomum. Iterum laudarem, ut quolibet mane, facta prius capitis leui fricatione, calefieret facculus super tegulam ex floribus chamæmeli, stæcados arabici, rorismarini, saluiæ, sampfuci, & capiti quater uel quinquies applicetur. Iterum consulo, ut faciat suffumigium, & ipsum sumat per hos & nares. Vt Recip. styracis, calamitæ, thuris, ladani, uernicis, ana. partes æquales. Iterum consulo, ut frequenter utatur uesperis, quando uadit dormitum lotionem calidam rerum infra scriptarum a genu infra, & a cubito ad extrema digitorum. Recip. florum chamæmeli, melliloti, florum stæcados arabici, sampfuci, saluiæ, betonica, rorismarini, rosarum rubearum ana. Mani. i. bulliant in suffic. quant. aquæ ad consumptionem tertiæ partis pro lotionem, hac enim non solum roborantur membra capitis, sed etiam materiæ diuertuntur ab eo.

Quod si hæc non contulerint, consulo, ut iterum digeratur materia cum isto syrupo, uel melicrato Recip. Helenii, irios, passularum mundatarum ana. Vnc. i. Adianti recentis, Manipul. i. caricarum numero. xii. mellis acetosati lib. ii. fiat mellicratum secundum artem, de quo assumat. Vnc. ii. cum aqua hyssopi, endiuia, & betonica, ana. Vnc. i. per sex dies in aurora, mirabiliter enim confert in omni passione frigida capitis, & pectoris, & maxime in catarrho: digesta materia euacuetur cum his pilulis. Recip. pilularum cocchiarum scropul. ii. agarici trociscati scropul. i. cum syrupo de stæcade fiant pilulæ numero quinque, capiat eas in medio noctis.

Euacuata

Euacuata materia consulo sine mora, ut sequenti die uel altero non impredientibus particularibus, fiat cauterium in commissura capitis, dixit enim Auenzoar, primo cheisir, tractatu nono, capite decimo quarto, uerbum istud Sed in hac ægritudine cauterizatio est cura utilior aliis, quia desiccet horribilem humiditatem, & eam extrahit ad partes exteriores. Quòd si cauterium in commissura coronali uidebitur sibi molestum, quantumcunque utilius, sit fiat sine excusatione aut cauteriũ, aut laqueatio, circa primam, aut secundam uertebam colli uersus nucam, & in hac cura expertus sum pluries, & bene me reperi, & cauterio isto facto continuet curam supra ordinatam, & melius & citius inueniet iuuamentum, deo uolente.

Quantum ad secundum, succurram dispositionibus præter naturam annexis catarrho, quibus hic nobilis uir molestatur. Et primo apparitioni imaginum ante oculos, & cura illius pendet ex cura catarrhi ut supra, & maxime in cauterio, & assumptione illarum pilularum quæ diximus in fine primæ intentionis actus curatiui assumendo alternatis diebus unam, quando ibit dormitum. Laudarem etiam quod ad minus ter in mense caperet tres, aut quinque pilulas, de iera simplici Galeni, quæ quanti ualoris sit in hac dispositione, & in catarrho frigido, & in mala dispositione stomachi, narrauit Auicenna tertio canone, capitulis propriis, deinde facta euacuatione utatur isto collyrio bis in die oculum immittendo. Recip. aquæ fœniculi, aquæ chelidonii, aquæ rutæ ana. lib. i. & med. aquæ rosatæ lib. med. croci. Vnc. i. aloes epatici. drach. iii. tutiæ præparatæ drach. ii. antimonii, lapidis calaminaris præparati sicut præparatur tutia. ana. Vnc. med. margaritarum. drac. i. mellis albi. lib. med. terenda terantur, & omnia simul mixta distillentur per alembicum lento igne, & aqua sic distillata usui seruetur, laudo etiam ut sit sibi familiare, sicut dixit Rasis, secundo continentis, odoramentum sam-

C O N S I L I U M

psuci, quinimmo terat ipsum, & in petia ligatum portet in manibus ipsum odorando, & nocte iuxta puluinar ipsum retineat, & odoret.

Est secunda dispositio annexa, quam patitur asthma, cuius paroxismus bis in anno ipsum inuadit, cui succurrimus ex cura catarrhi ut supra. Sed ipsum consulo de duobus, quibus præseruabitur a futuro paroxismo asthmatis, & ab eo existente citius liberabitur. Primum est, quod per quindecim dies, cum tempus in quo patiens præsumit paroxisimum asthmatis debere accidere, de tribus diebus, in tribus diebus in aurora capiat. Vnc. med. ter bentinæ ter lotæ cum aqua capillorum ueneris. Secundum est electuarium unum, in quo mirabilem habeo experientiam, quod ipsum debet continuare ad minus decem continuis diebus quolibet mense ter in die, scilicet, ante prandium per duas horas ad quantitatem bonæ nucis, & similiter ante cænam, & tertio quando ibit dormitum. Recip. butyri recentis nouies loti cum aqua capillorum ueneris, caricarum, passularum enucleatarum, ana. libr. mediam, dactylorum, granorum pini, amigdalorum amararum. ana. Vnci. unam, succi dulcis radicis, dragaganti, hyssopi. ana. Vnci. mediam, irios, thimi, satureiæ. ana. drachmam. i. prassii, pulegii, seminum urticæ, ana. drachmas duas, cinnamomi, zinziberis, piretri. ana. drachmas. iii. gariophyllorum, galangæ, piperis nigri, anisi, carui, cardamomi. ana. drach. i. ligni aloes nucis myristicæ. ana. scropul. ii. mellis, aquæ thusilaginis. ana. lib. i. caricæ, passulas, & dactilos, infunde in aqua, & melle in uase stagnato bene tritas per tres dies, tertio uerò die, ea lento igne usque ad spissitudinem mellis decoque, & uice alia cola, & colaturæ misce pineas, & amigdalas in modum electuarii tritas, deinde omnia in mortario commixta benè tueantur, & tritis terendis in subtilissimum puluerem misceantur, & sic ea omnia diu commiscendo electuarium confice, quo confecto

confecto illi adde pulmonis uulpis in pollinem redacti. Vnc.ii.& in uase uitreo ipsum reconde, & usui referua, secretum enim est, & multi iuuamenti.

Est & tertia dispositio præter naturam annexa debilitas digestionis stomachi, & cum iam diximus illius causam pro maiori parte sit copia superfluitatis phlegmaticæ uia reumatis ad ipsum stomachum communicata. Ideo concludo curam catarrhi esse pro maiori parte, curam debilitatis digestiuae stomachi, cum ex ablatione causæ contingat effectum remoueri, ex tertio artis medicæ. Consulo tamen, ut frequentet hanc unctionem ad stomachum, ad minus semel in die ante prandium. Recip. olei spicæ, olei masticis, olei citoniorum, ana. Vnc.mediam. gariophyllorum, macis, cinnamomi, ana. scropulum. i. galangæ, zedoariæ ana. scropulum medium, terenda terantur, & cum modico ceræ, fiat unctio mollis pro stomacho. Iterum laudo, ut ante prandium assumat unam de globulis huius confectionis, Recip. specierum diagalangæ, specierum aromatici rosati. ana. drachmas duas & med. puluerum diadraganti frigidi, drachmam unam, zucchari optimi dissoluti in aquæ betonicæ quantum sufficit, fiat confectio in rotulis pro qualibet, drachmarum duarum. Iterum laudo, quod assumpto cibo mane, & uesperis utatur Daucis, & caruis conditis cum zuccharo.

Est & quarta dispositio præter naturam, quam patitur hic nobilis uir, dolor articulorum ab eadem pendens causa, a qua & alii lapsus pendent in eo. Ruens enim materia catarrhi ad iuncturas in eis dolorem inducit. Quare illius doloris cura erit cura ablationis catarrhi propter quod diligenter obseruet, quæ diximus in actu curatiuo catarrhi, & seruabitur à dolore iuncturæ. Volo autem, ut à me habeat secretum in doloribus iuncturarum uehementibus, ubi
alia

CONSILIVM XIII.

alia non contulerint, & est aqua infra scripta, cum qua tepida debet abluere locum dolentem in causa frigida. Recip. Aquæ distillationis raparum. lib.iii. aquæ distillationis radicum urticæ. lib.i. aquæ uitæ. lib. med. croci. Vnc. med. misce. Et ponantur in alembico, & distilletur aqua & usui seruetur, & est mirabilis, & experta. & cet.

Hæc igitur sunt, quæ per me Benedictum Victorium Faentinum consulenda erant in Dispositione. Nobilis uiri. Quæ si accuratè, & cum diligentia ab eo obseruabuntur, non dubito diuina.

Cócurrète uoluntate ab ea, & sibi annexis malis dispositionibus ipsum leuari. Quare. & cet.



FINIS.

Laus Deo.

AD CATARRHVM ET SYMPTOMATA,

quæ ipsum consequuntur.

Pro nobili Domino Guolfgango Rollinger
Germano.

Consilium XIII.



Eruenerunt ad manus nostras Doctissime Medice scripta nedum iocunditate prædita, uerum & multiiuga doctrina referta, quibus abundantanti certitudine cum speculatione, cognouimus ea, quæ pertinent ad theoreticam inquisitionem Medicinæ, dirigentem intellectum nostrum practicum ad quid agendum sit in multis, atque uariis affectionibus, quibus Magnificus & Nobilis quidam Germanus. XXXIII. annorum acerbè molestat. Nempe ad hoc perficiendum, ut uidelicet Magnificus ille patiens pristinam sui ualitudinem adipiscatur, tria proponemus capita, quibus intellectus haud difficile erit optimum finem suæ angustiae, seu molestiae assequi, dum tamen patiens obseruet, quod iussit Hippocrates in libro de insomniis, ubi ait, diis supplicato, perturbatio sistetur.

Primum quippe caput, affectionum essentias enumerabit. Secundum, illam, quam nobis introductionem tradidisti, ut obseruemus præceptum Galeni primo, de ratione uictus acutorum, commento tertio. Et primo artis curatiuæ, ad Glauconem, capite primo, ubi ait, quod oportet Medicum uolentem ægritudinem curare, eam exactè cognoscere, & idem dixit Auicenna, in quarta primi. Non curabis morbum, nisi cognoueris ipsum, & quoniã morborum cognitio pendet ex cognitione causarum morborum, ut dixit Galenus, in eodem primo artis curatiuæ ad Glauconem.

C O N S I L I V M

Glauconem. Ideo primum caput cum numeratione morborum simul eorum causas diligenter inquiret. Secundum uerò caput terminum morborum huius Nobilis uiri prædicet, propter illud dictum Galeni primo, de ratione uictus acutorum, commento tertio, ubi inquit, prædictiones magna afferre commoda ad actum curatiuum ægritudinum ex decreto Hippocratis, primo libro prædictionũ ad principium. Tertium uerò caput curationem morborum expediet, ex præcepto Galeni, in primo artis curatiuæ ad Glauconem, capite primo, ubi ait. Primum cognoscere oportet morbum, & causas, & eorum tempora. Demum uerò quantam, & qualem habeat curam.

Quantum igitur ad primum caput, cum non sit uia ad morbi cognitionem suarumque causarum, nisi præcesserit cognitio temperaturæ totius, & omnium membrorum, maxime principalium, & illis deseruentium, ut scripsit Galenus, nono methodi curatiuæ, capite decimo quinto, & in libro de dispnoea ad principium, & in libro de cibis boni, & mali succi, & primo artis curatiuæ ad Glauconem capite primo, & Auicenna quarta primi, capite primo, ideo de illius uiri Nobilis temperatura primo sermonem habebimus, ut nobis appareat, si morbi, quibus molestantur, sint proportionales, uel disproportionales naturæ sui, ut uerificemus aphorismorum. Hippocratis secundæ particulæ dicentis. In morbis minus periclitantur ægrotantes & cet. Et ut uerificemus sententiam Galeni, in primo de dispnoea, uidelicet, ut cognoscamus quantum complexio ægritudinalis distat in ægrotante à naturali sui temperie, Quo fit, ut facile possimus cognoscere secundum quam temperiem medicinæ ipsæ condonandæ sint corpori ægrotanti. Et hanc sententiam ex Galeno secutus est Auicenna, in quarta primi, capite primo. Et etiam ut uerificemus mentem Galeni, in nono methodi curatiuæ cum dixit, quod tota curationis intentio est in conseruatione sanitatis, uel

in

in eius recuperatione. Hoc autem facere nemo poterit, nisi temperaturam corporis ægrotantis, uel in sanitate constituti exactè dignoscat. Sed unum annotatione dignum est, quod Galenus, in nono de morbis curãdis, capite decimo quinto, & in secundo de temperaturis, capite sexto, licet dixerit, temperaturam ægrotantis & membrorum eius esse præmeditandam, tamen inquit hoc esse admodum difficile, cum difficilimè hominum naturales temperaturæ cognoscantur, Et hoc ideo est, uel quoniam sicut plerumq; contingit medicus neque uidit, neque cognouit corpus ægitudine affectum, sicut mihi accidit in præsentiarum de nobili isto patiente. Cum enim medicus artifex sensualis sit, ut dixit Haly. secundo artis medicæ, ideo sensu ipso notas ipsas debet dignoscere manudentes ipsum in cognitionem naturalis suæ temperaturæ, sed quia neque patientem ipsum, neque indicia cognouit, ideo est, quod difficilimè patientis temperaturam cognoscat. Item difficilimæ, sunt cognitiones naturalis temperaturæ ægrotantis, quoniam indicia illius frequenter ex indiciis morborum, & morbis ipsis facile latentia occultentur, & si medicus ægrotantem uiderit, & cognouerit. Ob quam rem doctissimè medice me excusatum habebis, si de temperatura totius corporis ægrotantis, & suorum membrorum non ultra sermonem faciam, quoniam tantam excellentiæ tuæ propter insignem doctrinam, fidem adhibeo, ut à me dicenda in propositis capitibus, statuam super ea, quæ per te dicta sunt de temperaturis dictis, tanquam supra firmum, & stabile fundamentum.

Dicam igitur ut doctissima tui informatio nos introduxit.

Offertur nobis nobilis quidã, & Magnificus Germanus, omni quippe uirtute præditus, præclarusque, & in suis consuetudinibus, & rebus agendis admodum celebris, ætatis. XXXIII. annorum tēperaturæ quippe biliosæ, quæ & si

in genere, distemperantiam per bilem generat, ipsa tamen in latitudine temperaturæ biliosæ non multum recedit à temperata bile, & hoc quoniam ut dicis cum bile dominante in hac Nobilis uiri temperatura, notabilis sanguinis quantitas commiscetur, quo fit, ut acuitas bilis sanguinis benignitate corrigatur. Contentus uero sum de signis huius temperaturæ colericæ dominantis in nobili ægrotante, quæ doctè à te recensita fuere, & si sint Galeni, in secundo artis medicæ. Et Auicenna in secunda primi. Et Auerrois in quarto colliget.

Cerebrum autem eius testaris in actiuis calidum esse, & hoc fortè propter redundatam caliditatē ab inferioribus membris ad ipsum, cum ex natura, & cor spiret spiritum ad cerebrum, & epar uapores, ut dixit Galenus in libro de introducendis in pulsibus. In passiuis uerò non multum recedere à temperamento latitudinis temperantiæ cerebri, quòd si tamen aliqualis fuerit excessus in passiuis per humidum erit magis, quàm per siccum, & huius signa exquisitè conduxisti ex Galeno, in loco dicto. Cor autem eius calidum, minus tamen siccum, siccius tamen quàm humidum ob Excellentia tua in tēperatura sui fuit collocatū, propter signa, quæ mihi aperuisti cum Gale. loco dicto.

Dixisti uerò suæ nobilitatis iecur calidæ esse temperaturæ, siccæ uerò, non multum tamen à temperamento lapsam. Indicia autem iecoris calidi, & sicci non multum posuit Galenus, in secundo artis medicæ, secundum quòd à te etiam enarrata fuere.

De renibus autem, & testiculis certe calidos esse non possum non confiteri, si uera sint ea indicia, quæ super hoc posita sunt à Galeno, & rectè à te ipso memorata. Ventriculum autem posuisti frigidum, & humidum, cuius dicti inter alia indicia posuisti stomachum suæ Nobilitatis ad appetendum plurimum uigere, & in concoquendo admodum deficere, præsertim, ut tetigit Galenus, cibos illos,
qui

qui alterationem, facile non recipiunt, Sed Doctor Excellentissimus uellem Excellentiam tuam considerare uerbum Galeni, secundo aphorismorum, commento uigesimo, assueuerantis humiditatem frigidam in uentriculo esse causam, inappetentiæ. Dixit enim senum igitur corpus, cum frigidum efficiatur tantum augeri contingit in ore uentriculi frigidam humiditatem, ut appetitus deficiat. Durum igitur mihi uidetur uentriculum fore frigidum, & humidum, & quod appetitus in eo concreascit, nisi uitiosus, & caninus fuerit ille appetitus non sequens naturalem temperaturam ipsius uentriculi. Quod si uelimus uigorem appetitus in sui nobilitate esse secundum naturam, sui uentriculi, non ab re erit dicere eius uentriculum abundare in passuis sicco, uel forte propter nigram bilem transmissam a splene ad orificium stomachi, qua appetitus excitatur, ut potest colligi ex Galeno, quarto aphorismorum, commento uigesimo primo. Vbi enim esset dominium in uentriculo frigiditatis, & siccitatis, ibi erit uigor appetitus, sicut uigor humiditatis, & frigiditatis appetitum deiicit, & cum frigiditate, & siccitate uentriculi stat appetitus, & minuitur concoctio. Sed quoniam considero reliqua signa posita ab Excellentia tua, & si sint Gale. attestantia uentriculum frigidum esse, & humidum, ideo eis assentio, ueluti uera, & uerè ostendentia uentriculum suæ Nobilitatis frigidum esse, & humidum, at certe opinor frigiditatem, & humiditatem uentriculi suæ nobilitatis, non sequi illius naturam, sed ex malo regimine, & ex ægritudinibus perturbantibus uirum istum, talem complexionem fuisse aduentitiam. Demum confiteor ex discursu facto in inquisitione temperaturæ membrorum principalium huius nobilis uiri, iuxta præceptum Galeni, secundo artis medicæ, totius complexionem eius fore, ut dixisti, cum maxime cor, & epar in temperatura eadem coeant. Hæc igitur sint, quæ a me obiter dicenda erant de temperatura huius

nobilis patientis totius, & membrorum, fidem adhibeo his, quæ sermone prolixo dicta sunt ab excellentia tua.

De affectibus autem præter naturam, quibus turbatur Nobilitas sua, alius quidem effectus iudicio meo principalis, alii uerò symptomatice, & accidentales sunt, ideo puto affectum, quo essentialiter turbatur esse catarrhum, & testimonium habeo ex Galeno, secundo prædictionum, commento quadragesimo nono. Et sexto de morbis, & symptomatibus, capite quarto, ubi ait, de consuetudine medicorum est nominare catarrhum humiditatem, quæ descendit ex palato, cum autem lego scripta excellentiæ tuæ, reperio, uirum hunc nobilem pati profluuium materiæ à capite ad pectus cum angustia, & pectoris strictura. Quod si extendamus nomen catarrhi nedum ad humiditatem descendentem ex palato, uerum & ad omnem humiditatem irruentem à capite ad membra inferiora, ut ex Auicenna colligi potest quinta tertii. cap. ii. iudicium nostrum efficietur certius ad confirmandum ipsum, primo catarrho laborare, quoniam dixisti tu humiditatem à capite ad spinam, & uertebras descendere, sicut plerumque & ad orificiū stomachi, & ad cætera membra inferiora, eandem descendere humiditatem, qua in ipsis quædam tristis sensatio, & lassitudo concreatur, quæ concreuit post suos uehementes labores cum præsentia frigiditatis in eisdem, quæ sensu tactus percipi uidetur, & certè ab his accidentibus tanquam à propriis indiciis iudicabimus, uerè primam huius corporis ægritudinem esse catarrhum.

Qualis autem sit catarrhus iste, & quis sit modus substantiæ eiusdem à te ipso percipere non possum, tamen coniecturabor catarrhum nobilitatis suæ fore frigidum, tum quia ad spinam, & uertebras descendit, & hic est proprius locus, per quem secundum plurimum frigidi catarrhi ad hæc membra condescendunt, sicut testatur Auicenna in secunda tertii, ubi loquitur de ægritudinibus pendentibus à catarrho

a' catarrho fluente per spinam, tum etiam quoniam ad pectus confluens sua glutinositate, & hærentia, & crassitie obstruit meatus pectoris, & uias pulmonis, quo fit, ut anhelus difficilis reddatur, & hæ dispositiones catarrho contingentes sunt, quæ frigidum catarrhum ostendunt. Item quoniam ex illo catarrho, ut ais, fit cerebri compressio, & ipsius capitis grauitas. Item, ut ais, ex illo catarrho sensibilibiter in membris labore fatigatis, ultra tristem sensationem, & lassitudinem, manifesta tactu percipitur frigiditas, quæ omnia satis indicant supra catarrhum frigidum. Modum autem substantiæ eius opinor ego esse commixtum ex crasso, & subtili aquoso, ex crasso, propter grauedinem, quam & in cerebro, ut ais, & in orificio uentriculi concreat, aquosum autem & quid subtile habet, quo ad partem illam, quæ ad membra inferiora ferè omnia usque ad pedes, ut tu dicis, condescendit. Vnde & si frigiditas in membris suis actu appareat, propter tamen illam, quam ei donasti temperaturam naturalem, corpus suæ nobilitatis redditur raræ contexturæ, quo fit, ut facile lædatur ab utrisque qualitibus actiuis.

Post autem essentialem, & principalem morbum, quo afficitur nobilis patiens, sequuntur per modum symptomatis: accidentia ex catarrho, uidelicet, capitis grauedo, & maxime circa regionem contexturæ coronalis, & huius causam dicimus unam. Præsentia materiæ pituitosæ genitæ per uiam diminutæ concoctionis, in parte illa satis debili. Secundam, mali fumi a' uentriculo in concocti, & nõ æquati a' uirtute debili ipsius concoctricis, qui eadem grauedinem in loco illo fouent, & custodiunt. Item dolor capitis adest non magnus & hoc, quoniam siue fumi sint a' uentriculo delegati ad cerebrum, siue præsentia materiæ in cerebro, pelliculæ ipsius cerebri extenduntur, & soluitur continuum, & fit dolor, & si non magnus.

Item dentium aduersa sensatione annuatim molestat, hoc

C O N S I L I V M

hoc quippe est, cum materia ipsa a cerebro irruat in locū
gingiuarum, & dentium, Quo fit, ut nedum dentes triste
sentiant, uerum & parentur ad putredinem, & ad futurū
casum. Item labili, & non firma memoria molestat, &
in continuo temporis prouentu ad deteriore[m] uidetur
lapsus, in memoria labi. Hoc autem est, ut dixit Aristo-
teles, in de memoria & reminiscētia, ob superflua[m], &
abundantem humiditatem in posteriori cerebro existen-
tem, propter continuum defluxum materiae catarrhalis a
cerebro ad spinam, quae sui praesentia afficit in posteriori
cerebro, & uitiat retentionem specierum memoratarum,
cum humidum fluidum sit, & non retinens illam, quam
facile recepit impressionem, & Auicenna prima primi do-
ctr. sexta. Vel causa potest esse uitiatae memoriae, frequen-
tia morborum & symptomatum eorum, & hanc causam
tetigit Galenus in libro, de symptomatum differentiis, ex
testimonio thucididis, ipsis enim morbis, & symptomati-
bus suis, animae facultas facile uitari potest, Aut in causa
potest esse quod propter aegritudines, & multitudinem a-
ctionum in quibus nobilis hic patiens uersatur, tota men-
te non intentus fuerit, & hanc causam tetigit Galenus, li-
bro secundo, de motu musculorum. Item propter conti-
nuum confluxum materierum catarrhalium per spinam,
& dorsi uertebras, & a uertebris dorsi ad omnia membra,
quae motu uoluntario mouentur, ideo ob hoc patitur bra-
chiorum, digitorum, pedum, & musculorum dolorem, &
lassitudinem, quippe tolerabilem. Item quoniam pars il-
lius materiae a cerebro defluit ad membra anhelitus, ideo
plerumque patitur & si leuem quandam asthmatis speciē,
& quoniam ut ais per neruos descendentes ad orificium
stomachi descendente materia ad ipsum a cerebro uentri-
culus eius uitiatur, & praesertim orificium, uel dolore, uel
tristi quadam sensatione. Et haec sunt symptomata, quibus
post morbum principalem, & ex illo, Nobilis hic Domi-
nus

nus molestatur cum suis causis præcedentibus, & continētibus, quæ longiori sermone doctè ab Excellentia tua fuerunt satis enarratæ.

Causæ uero procatharticæ, seu primitiua, & si morbus facile curetur ipsis amotis causis, ut tertio artis medicæ, colligitur ex Galeno, nihilominus, ut dicis, multa afferunt commoda ad cognoscendas causas continentes, & præcedentes, & morbum ipsum, quas causas nunc non numerabo, sed in secundo, & tertio capi. de his meminero, ostendendo eas a sua nobilitate fugiendas esse.

Nunc uero solum per ea, quæ iam diximus in cognitione causarum, & morbi intrinsecarum, prædicam quid sentio, de termino & ægritudinis, & suorum symptomatum in isto nobili Domino. Dico primo, quod cum hæc ægritudo non congruat temperaturæ suæ nobilitatis haud facile erit ægritudinem, & sua symptomata soluere iuxta illud Hippocratis, secundo aphorismorum, trigesimo quarto, ubi ait. In morbis minus periclitantur, quorum naturæ aut ætati, aut habitui. &c. Dico secundo, ægrum istum nobilem cum difficultate posse ad pristinam ualeitudinem condescendere, propter illud dictum Galeni, in commento aphorismi, quadragesimi, secundi aphorismorum, uidelicet, raucedines, & grauedines &c. ubi ait Galenus. Quòd quæcunque morborum genera ex frigidis humoribus ortum habent in quibusdam iuuenibus, nedum in senibus difficulter concoquuntur.

Dico tertio, quòd corpora sæpe incurrentia catarrhum, non sunt omni periculo secura, immo propè naufragium sunt constituta, cum dixerit princeps in quinta tertii, capite. ii. eos paratos esse ad omnia ægritudinum genera.

Dico quarto. Quòd catarrhus cum dolore capitis, & membrorum totius corporis difficilis est curæ, ut dixit Auicenna, quia multitudo materiæ, & debilitas uirtutis arguitur.

Dico

CONSILIUM

Dico quinto, quoniam catarrhus est in complexione calida, & in ætate satis calida, facile curari poterit, quia omnia ista iuuant ad resolutionem materiæ frigidaë facientis catarrhum.

Dico sexto, quoniam catarrhus iste non conducit symptomata sæua, neque admodum magna, ideo lata mente dico catarrhum huius nobilis uiri bene curari posse.

Dico ultimo, quod cum prope ætatem iuuentutis nobilis hic Dominus constitutus sit, & iuuentus magnum est fundamentum, & ipsius medici magna fiducia in curatione morborum. Ideo dei auxilio, & bona sui medici prudentia, sollicitudine, & cura, bene curari poterit.

Caput tertium, modum profligandi morbum, & eius symptomata ostendit. Nempe habemus à Galen. in libro de partibus artis medicæ, summa secunda, capite secundo, & in libro experimentorum, capite ultimo, morbi curationem uno trium perfici instrumentorum, uel pluribus, uidelicet, uictus ratione, uel medicamentorum potione, atque manuum operatione, à quo Auicenna, edoctus in quarta primi dixit, res medicationis una trium rerum cõpletur, uidelicet. Dieta, medicinarum exhibitione, & manuali operatione. Idcirco Doctor Excellens Nobilis ægroantis curationem omni trium instrumentorum exercitatione exactè perficere conabor, ut nostris medicamentis diuino numine adiutis, eum ad illam, quam iam habuit ualeitudinem conducatur, cum autem omnium eorum instrumentorum nobilius sit uictus ratio, ut in libro experimentorum, capite ultimo, dixit Galenus, cui medicus in primis debet adhærere, ut dixit Gal. ii. metho. capi. quinto. ob hoc à uictus ratione curationis methodum à principio aggrediemur.

DE AERE.

Primum de aere dicam, cum ab aere nos ambiente corpus admodum mutetur, ut ait Galenus, tertio ar-
tis

tis medicinalis. x. & undecimo, & .iii. methodi curatiuæ. capite octauo, & nono, methodi non longe à fine, ubi ait. Ambiens uerò is est, sine quo nec tolli morbus, nec teneri sanitas potest, prohibeo igitur nobilitati suæ crassum, & nebulosum aerem, clusumque, nullum recipiens perflatū, quoniam dixit Galenus, in primo de tuenda sanitate, nec qui ob stagnum, uel flumen uicinum nebulosus est aer, nec qui editis undiq; in cauo loco clusus, nullum recipit perflatum, suffocans enim, putrisque est. Proinde accuratè locum domus sibi conducat nobilis patiens, in quo non sit inclusus aer, perflatus defectum sustinens, ob illud Galeni uerbum eodem libro similis ei, qui in domibus quibusdā est inclusus, in quibus ob putredinem, & perflatus defectū plurimus aceruatur situs, huiusmodi enim aer omni planè ætati est noxius. Proinde quoque & fumo, & puluere affectus aer prohibeatur, tum quoniam aer ille multiplicatiuus est superfluitatum humidarum in capite, quo fit, ut ipse per uiam reumatismi ad inferiora irruant, tum etiam quoniam cum membra spirationis intrant spirandi facultatem tollunt, ut uiarum spiritus clausione asthma conducant, in quam affectionem facile patiens cadere potest, aerem quoque humidum ualde fugiat, sicut qui stagni & paludis habitu est infectus, & qui ex cloacis malam spirat auram, & qui ex animalium, aut olerum, aut leguminum putredine uitium contraxit, aut fimo coinquinatur, summa cum diligentia uitandus est aer. Cerebrū enim lædit, & humiditatibus ipsum replet, & spirandi facultatē opprimit, ut dixit Galenus in libro primo, de tuenda sanitate: Conducat autem nobilitas sua, aerem purum & clarum, atque subtilem, ne impuritate & crassitudine sui uirtutes animales, & organa earum obnubilet, & ideo dixit Galenus optimum aerem censeo, qui prorsus sit purus. Eius autem aer sit calidus, & siccus, non admodum quidē, ob illud uerbum Galeni, quinto aphorismorum, cō. xxiiii

QQ

frigidum

C O N S I L I V M

frigidum partibus Thoracis inimicissimum esse, & ex capite distillationibus thoracem offendit, atque pulmonem, nõ ab re igitur iuberem moderato calido caput suum munire. Dixit enim Galenus, quinto aphorismorum, commento uigesimo secundo. Calor uero extrinsecus facit hæc omnia, quæ dicta sunt, & in capitis dispositionibus facit hæc eadem, idest capitis grauitates sanat, concoquens, atque dissoluens quæcunque molestant. Nempè igitur si natura aer calidus eo in loco quo D. sua moram trahit non reperiatur, aut hybernium adfuerit tempus, leuibus aromatum suffitibus utatur. Considera Doctor Excellens, quod à me dicitur leuibus suffitibus, quoniam aer multo affectus fumo, noxius est capiti, & tanto plus, quanto fortes suffitus aromatum in eo recipiuntur. Vbi enim Nobilis Patiens ei obnocuum esset quod de fumo exit ab aromatibus, sola aromatum præsentia in loco mansionis suæ contentus sit, ut quod de odore ab aromatibus expirat, quæ sua ui aperiant, uasorum obserata extrema, & humorum crassitudinem extenuant, & omnibus frigidis, & humidis dispositionibus corporis profunt, & aromata hæc sunt. Cinnamomum, gariophyllum, macis, ambra, lignum aloes. Cortices citrii, arantiæ, & huiusmodi. Quod si eidem gratum fuerit, clarum ignem inspicere & maximè hyberno tempore sit ex lignis rorismarini, iuniperi, & lauri, quippe si ex ligno terebinthi uel ex ligno, quod usitato uocabulo lignum laricis dicitur, ignis exacendatur, proficius admodum hic erit ignis, quoniam sui natura est roborare caput, & membra anhelitus, ut non facile cadant in asthma, & catarrho succurritur. &c.

P A N I S .

Panis electionem sic facito, illius enim confectio sit ex solo tritico, & sit ex simula, seu flore farinæ, purissimus enim panis is est, naturalia non grauans, non flatuosus, neque deorsum aluum implens, & peroptimè nutritiuus,
neque

neque caput grauitans. Hanc sententiam habes a Galeno primo alimentorum capite secundo, & ab Auicenna secundo canone, capite. DLXXIII. Sitque illius Panis non admodum fermentatus, sui enim superfluente acore, & cerebro, & membris spirandi noxius est, quippe neque omnino fermento careat, quoniam nemini erit accommodus, neque eius panis sit plurimum salitus propter illud uerbum Galeni secundo, de compo. med. s. l. capite decimo octauo, ubi ait. Sal anxiatium est propter grauedinem, & maxime in capite sitque eius panis non admodum coctus, ut qui cruda, incoctaque interi ora habet, ambusta uero obarida, & crustacea exteriora. Ignis enim uis in totum panem nequit penetrare, ideoque illum non percoquit, sed crudiora relinquit, maximeque intimas partes. Is enim deterrimus panis est, & uentriculo inimicus, qui in crustaceis admodum aduritur, in intimis uero crudus, incoctusque relinquitur, auctore Galeno primo alimentorum, capite secundo. Sitque panis eius recens trium dierum, sanè quidem calidus non edatur propter illud Auicennæ secundo canone, capite. DLXXIII. Panis enim calidus non est apud naturam receptibilis, sitim facit, & natat, propter suam uaporosam humiditatem, nocuam admodum cerebro. &c.

DE VINO,

CVM sit omnis excessus fugiendus, maxime hunc fugere expedit, ex quo non corpori modo, uerum etiam animo damnum accedit. Quippe cum corpori D. suæ, & animo uini potus damnum ingerat, nedum haustum gustare suaserim, uerum & omnis uini potum denegarem, quippe cum repleti eius caput sit inutile. Vinum autem halitu caput repleat, idcirco uinum illi nocuum erit, quo fit, ut ex potu uini concreascat catarrhus, & alia uigeant symptomata, quibus patiens molestatur. Propterea Doctor Excellens non ab re mihi suadeo D. suæ potum peridoneum esse ex hydromelite, potum coctionis hyssopi, calefacien-

C O N S I L I V M

tis, & exsiccantis, auctore Galeno octauo, simpl. pharmaco-
rum. capit. CLII. Vbi uerò consuetudine, uel inordinata tui
Domini appetentia, uel uiolento aliorum irritatu, ad uini
cogatur potionem, uina nigra illi minimè dato, sui enim
crasitie, humores crassos, & glutinosos adgenerabūt, qui
euaporantes ad caput grauedinem augebūt, & uia pulmo-
nis obstruentur. Quo fit, ut facile cadat, in difficilem re-
spirationem.

Porro igitur eius uinum album sit, imbecillum uirium,
ut caput minimè percutere ualeat, ait enim Galenus quin-
to, de locis affectis, cap. v. huiuscemodi uinum ut uentricu-
lum robustum efficit, ita nequaquā tentat caput, id quod
facere solent ea uina, quæ uehementes uires obtinent. &c.

DE CARNIBVS.

Quod peridoneè pensitatum est Doctor Excellens, a
magistris nostris antiquioribus, sæpius ad tui me-
moriā reuocari uelim, D. tuum præter naturali
dispositione affectum, in sui consueta eduliorū assumptio-
ne, eorum parsimoniam attendere, ob multum enim alimen-
tum uentriculo concessum, & in magna nutrientis quanti-
tate in stomacho, magna eleuatur uaporum, atque fumo-
rum quantitas ad caput, ideo & grauitas illius concrefcere
potest & præparabitur caput ad maiorem humiditatis flu-
xionem deorsum, Quo fit, ut symptomata turbantia D. suā
uigeant, & admodū noceant. Parcius autem uesperis ex usu
suo comuni cibo utatur, ne calor naturalis in summo re-
tractus ad interiora duplici labore fatigetur, uidelicet con-
tra operando malis operibus intus, in corpore patiente ex
ægritudinibus congregatis, & contra operando ipsi cibo,
ut ipsum in nutrimentum rectè conuertat. Quòd si uespe-
ri D. sua non capiet canam, uel parcissimo utatur cibo, cō-
fidentiam habeo ipsum debere sanari, & a suo morbo, &
a symptomatibus eius. Vetustorum itaque pedestrium a-
nimalium carnes cauere debet, ut bubula caro, de qua lo-
quens

quens Galenus tertio, de facultatibus alimentorum. cap. I. ait bubula uerò alimentum ipsa quoq; non exiguum, nec discussu leue præstat, sed sanguinem crassiozem quàm par est, progignit, quæcunq; igitur peditantia animalia temporis uetustate terrei alimenti naturam sibi concesserint, non optimi sanguinis, sed feculenti, animali facultati noxii, facile, procreantia sunt, quales sunt ceruorum carnes, & capreoli, caprarum, arietum, & uetustorum castratorum. Caueat quoque D. sua à suilla carne, compertum autem est ex experientia uentriculũ grauari, crassum progignere alimentum, & sui natura non facile concoqui, ut ait Gale. VII. methodi curatiuæ. cap. VI. Ob quam rem suillæ carnis quâlibet administrationem D. tuum aufugere certè arbitror, cum humoris geniti crassitia, atque adhærente uiscositate cerebro noceat, & difficilem reddat anhelitum, quicquid de suilla carne dixerit Gale. libro tertio, de facultatibus alimentorum, cap. I. & in libro de cibis boni, & mali succi, & decimo simplicium medicamentorum. cap. III.

Tibi ex his suadeo ex comuni usu, carnes D. tui quantitate minutas esse, sicut & cuiuslibet alterius edulii adaucta enim quantitas eorum, uentriculũ extendit, & pulso septo trãsuerso spiratiõis facultas grauatur, sintq; eius carnes facilis concoctionis, & optimi alimenti, non multo humido affecti, sint, quæ non facilem concoctionem apud uentriculum tenent, naturali facultate facta imbecilli, in superfluũ uertuntur, quod ad caput effumans nocuum est cerebro, flatuosamq; humiditatem progignunt, septum transfuersum pellentem, difficiliorem reddent anhelitum. Quippe si abundantis humiditatis carnes alimentum procrearent, sanè pulmõis uasa ab ea magis obserata asthmatis cremētum efficerentur. Sint itaq; carnes eius, ut pulli gallinarũ, fasianorum, perdicum, turturum, atq; columborũ, iuuenũ cuniculorum, & leporũ, & caro hædina, parũq; uitullina ei non denegabitur, quippe agninã carnẽ nõ sequatur noxia
enim

C O N S I L I V M

enim est ei ob id, quòd humidiores alimoniam, quã par est progignat. Porro ex condimento huiuscemodi carnes, & elixas, & tostas parari possunt, si cum his iungãtur, quæ crudos, & tenaces humores attenuant, incidunt, & concoquunt, sicut cum hyssopo, saluia, calamento, enula, & modico cinnamomi.

Confulo quoque carnes cuiusvis generis, quas usitato esu D. T. deuorat, extenuatas, atque pinguedine existere nudas, pinguedo enim humida res est admodum similis oleo uetustate incrassato, ut ait Galenus tertio libro, de facultat. alimentorum. cap. decimo, hoc sanè noxium est capiti, thoraci, & osculo uentriculi, & halitu malo caput tentat. Verum medice Docte, eorum animalia quæ uolatu fidunt, carnes ob facilem concoctionem atque leuissimi alimenti, & peroptimi, præstantiam, præcipuam laudem in hac affectionem merentur, auctore Galeno tertio, de potentiis alimentorum, capite decimo octauo. Qualia sunt, perdices, columbæ syluestres, nam sicciore. Carnes quoq; gallorum iuuenum gallinaceorum atque gallinarum, turdorum, turturis, fasianorum, & frigellarum optimè conueniunt, quippe ut plura uno pronunciem uerbo, & quorũ omnium uictus, atque habitatio in pratis, agris, & nemoribus reperitur, admodum enim iuuantes sunt carnes. Suadeoque tibi ut prohibeas D. tuum a carnibus eorum animalium, quæ in stagnis aut palustribus, atque lacustribus degunt. Qualia sunt, anseres, anates, & similia. Dicente Galeno, in libro de cibis boni, & mali succi. Præterea aues, ut ita dicam, omnes boni succi censentur, exceptis lacustribus, palustribus, & quæ in immundis fluminibus, ac turbidis degunt. Caro enim animantium, quæ uiuunt in aquis huiusmodi deterrima est, salitas carnes omnino fugiat, propter illud Galeni secundo, de compo. med. s. l. capite decimo octauo. Sal molestiam parit propter grauedinem, & maximè in capite. &c.

DE PISCIBVS.

Cvm apud Gale. sexto de usu partium capite nono, cōpertum sit omnibus animantibus pisces frigidiores esse, namque humido abundantes: quippe uictus ratio hoc in catarrho frigido non admittit, non ab re à tota rei natura patienti pisces non concedimus, illos maximè, qui in cænosis, & sordidis aquis uescuntur. Porro & qui in paludibus, & lacubus capiuntur, excrementitia nãque & mucosa est admodum eorum omnium caro, auctore Galeno tertio, de potentiis alimentorum, capite uigesimo quarto. Qui uerò saxatiles appellantur pisces, & qui in torrentibus exercitantur, & qui de libero sunt mari, eorum caro optima est, & tanto melior, quanto uentorum difflatu mare agitatam fuerit, ob quam rem quanto piscium carnes, exercitio submittuntur, minus sunt mucosæ & excrementitiæ. De salitis piscibus idem dicendum puto quòd de carnibus.

DE OVIS.

Qvæ ab animantibus oua nascuntur à Galeno tertio facultatis alimentorum, capite uigesimo primo, in hominum numerantur alimenta, quorum summam alimoniam laudem gallinarum oua obtinent, porro cum albuminis uis adstringens sit, latum anhelitum incomodat, solo igitur oui luteo, hortor. D. suam debere uti, peridoneus enim est oui luteus, cum optimam progna alimoniam, ut dixit Auicenna secundo canone. capite. DXXVIII. ubi ait, & stricturæ anhelitus confert, ouum, proprie, cum sorbetur eius luteus tepidus. Sint quidem oua recentia, & non diu asseruata, recentia enim facili obediunt concoctioni, diu uero asseruata nedum concoctioni pertinacia sunt, uerum prauorum progignentia succorum, ut Dixit Galenus tertio, de potentiis alimentorum, capite uigesimo primo. Nempe oua, quæ ei esu comuni largienda sunt, non sint dura, cum difficilis concoctionis, & tardi
transitus

CONSILIUM

transitus sint, crassamque alimoniam corpori exhibeant. Porro sint tremula, atque forbilia, ut ait Galenus, ut supra, omnium enim exactissimè nutriunt. Sint autem eius oua potius in aqua cocta, quoniam in feruentibus cineribus asfata, longè tardioris sunt meatus, & crassioris succi. Quæ uerò in sartagine oua parantur ei sunt admodum contumacia, deterrimi enim sunt alimenti, dum namque coquuntur, nidorem, ac fumum edunt, malorum humorum adgenerantia, omnibus nobilis patientis dispositionibus nocua, non facile etiam oua cum aliis eduliis coagulata, ei cōcederem, cum dixerit Auicenna secundo canone, capite. DXXVIII. & melius eorum artificium est, ut non cum alio coagulentur.

DE LACTE.

LAc numerandum esse inter cibos, qui ab animalibus proficiscuntur, compertum est à Galeno tertio alimētorum, capite. XIII. Quippe lac optimum omnium rerū, quas cibi causa capimus, optimi est succi. Dixi optimum, iuxta Galenum quoniam uitiosum lac nedum tantum abest, ut ad succi probitatem conducat, sed ut malo etiam succo utentium corpora impleat, ob quam rem, nisi capitis grauitas obstaret, optimum lac aliquando ei admitterem. Porro recenter emulctum, quoniam sic naturæ bonitatis, aliquid est, cum enim diu emulctum est, naturæ bonitatis non nihil amittit, Hoc dico maximè propter affectum pulmonis, & thoracis, dicente Galeno tertio, facultatis alimētorum, capite decimo quarto. Thoracis pulmonisque partibus, omne lac utile est, capiti minime, nisi admodum ualenti. & cet.

DE CASEO.

CUm caseum ex iniecto lacti coagulo formetur, quippe dum formatur acrimoniam accipit, totamque humiditatem relinquit, quippe magis co inueterato crescit acrimonia, & is calidior, atque urentior redditur, concoctionique

tionique contumacior, & deterrimi alimenti procreator, ob quam rem a tota rei natura caseum D. suæ denegamus: Quippe etsi facultatis attenuatoriæ crassorum corporis humorum caseus sit, plus porro damni ex succi prauitate, & æstuantis feruore infert, quam crassorum attenuatio possit prodesse, auctore Galeno eodem in loco.

Vnde licet Galenus tertio, facultatis alimentorum, capite decimo sexto, inter omnes caseos laudet recentem caseum, qui gratisimus ori est, & stomacho minime noxius & concoctioni facilior, & comeabilior, succo constans non uitioso. Non propter hoc suæ D. concederem caseum, quantumcunque recentem, cum caput grauatum hoc non admittat. & cet.

DE BUTYRO.

Doctor Excellens te scire uellem, cum ex eo, quod in lacte pinguisimum est butyrum progignatur. Quo fit, ut liniendi facultatem sibi conducat, atque molliendi, & concoquendi, resoluendiq; uim habeat, auctore Galc. x. simplicium medicamentorum, cap. xi. ob hoc indicio sumpto a difficultate anhelitus, quæ plerumque patiens molestat, ei concederem butyrū, nisi capitis grauedo huic contradiceret, parce igitur in cōi suo esu butyrum edat. &c.

DE OLERIBVS.

Quæ ex oleribus D. Tuus esitare debet, porro calefacientia atq; exsiccantia sint. Qualia sunt hyssopus, menta, calamentū, fceniculū, sisimbriū, saluia, betonica, rosmarinus, & similia, suæ etenim D. hæc peridonea sunt, quoniam crassos, & hærentes succos attenuant, atq; abstergunt, quæ uerò frigida, & humida sunt temperaturæ olera, qualia sunt lactuca, endiuia, beta, spinachia, & huiusmodi, nedum crassos, crudosq; succos progignunt, uerū sui frigiditate causam difficilis anhelitus compingunt, & spirandi facultatem hebetant, ob hoc sint procul a D. Tuo, qualia etiam esse debent, quæ natura frigida, & sicca sunt olera,

R R

qualia

C O N S I L I V M

qualia plantago, acetosa, solanum, & similia. & cet.

Præterea terræ bulbos cauere debet, eos præcipue, qui mordaci acrimonia, præditi sunt, qualia cepæ, allia, ascalonia, Porri, & huiusmodi. Cum suo malo halitu cerebrum uitient, & obscurissimam quandam alendi facultatem corporis habent, ut ait Galenus secundo simplicium pharmacorum, capite ultimo.

D E F V N G I S .

FVngos quouis modo condiendi paratos, D. tuus dubio procul fugere debet, porro nedum mali succi sunt, atque alimonia ex his procedens pituitosa, gelidaque est, os uentriculi angustians, quippe & id pondere afflictum, constrictumque spirandi facultatem corripit, ut dixit Galenus secundo alimentorum, capite sexagesimo nono, & Auicenna secundo canone, capite. CCLXXIII. ait, accidit ex fungis, qui non interficiunt, præfocatio. &c.

D E F R U C T I B V S .

Dixit Galenus secundo, facultatis alimentorum, capite secundo. Hos quidem fructus horarios esse, hos uero arboreos, horarii sunt, qui in anni hora nascuntur, in cuius medio temporis canicula exoritur, & quidam hos terræ fructus nuncuparunt, quales sunt cucurbitæ, mellopepones, anguriæ, cucumeres, & huiusmodi: qui cum humidæ sint consistentiæ, atque larga humiditate affecti, nedum humidam progignunt alimoniam sed & exiguam, facileque e corpore excernibilem, ut Galen. dicere audeat, id genus omnia uitioso succo notata, fructus uero, quos arboreos appellitant, a tota rei natura edendos non dabimus. D. Tuo. Dixit enim Galenus, secundo alimentorum, capite septimo. Hi enim quorum mollis, atque humida est consistentia, nedum tenuem, humidamque ex se alimoniam corpori afferunt, uerum & flatuosam ei admodum nocuam procreant: quales sunt ficus, pira, mala, persica, armeniaca, cerasa, pruna, & huiusmodi. Atqui si, ut pueri,

ri, uoraci appetentia pulsi, ea quempiam horum cuperet, maturas ficus, ueluti minus nocuas ei tradere iuberem, minus namque prauis succi adgenerant, omnibus his, qui fugaces, autumnalesque uocantur fructus, etsi penitus huius officii non immunes reddantur ficus, ut ait Galenus, secundo alimentorum, capite octauo. Sed poma feruentibus cineribus cocta, & pira, & persica esitare poterit. Excalfaciens siquidem ignis, nedum humidum nocuum minuit, uerum & flatuosum spiritum sensim excernit, soluitque. Citonia poma caueat, & cruda, & cocta, cum a sui natura neruis, & iuncturis noceant. Noces auellanae, atque iuglandes noces, cum ui polleant adstrictoria, auctore Galeno, secundo alimentorum, capite decimo octauo. eorum esca D. Tuo nocua est, difficultatis spirandi incrementum apponentes, fluxionesque desuper mouentes, potentiam spirationis admodum grauant, a quarum natura non ex toto amigdalae dulces abhorrent, minus tamen. Quo fit, ut audentius possimus ei eas concedere, nisi earum natura, ut multi dicunt, caput grauitet.

DE LEGVMINIBVS.

Legumina ob hoc quod nulla gratia, nullaque iucunditate commendantur, quippe & flatibus uentres implent, ut dixit Galenus, de potentiis alimentorum, & ob hoc facultatem spirationis uitiant, ea proculdubio Domini tui, cuiusuis generis paratus adfuerint, ingratas escas pronuntiabo: ob quam rem hortor, ut eorum fuga D. Tuus se muniat, nisi inordinata appetentia eorum cogeret, plerumque cicerum rubeorum iusculum sorbere, quod non putamus admodum inutile si hyssopi, salviae, atque maioranae condimento paretur, sic enim attenuandi, & abstergendi crassos humores, & glutinosos uirtutem tenet.

DE EXERCITIO.

Porro ut Dominatio patientis bonam conducat ualitudinem praecipere oportet, ut corporis motione,

RR ii atque

atque exercitatione gubernetur. At quoniam non leue incommodum nonnullis accidit, cum repleti cibo se exercitant, ut Galenus sexto, de tuenda fanitate dixit, non ab re ipsum impleto uentre exercitari nollem, ea inquam motione, uaporibus impletur caput, fluxiones desuper cadentes adspirationis instrumēta progignentibus admodum, & capiti, & thoraci noxias potissimum igitur eius exercitatio non sit post cibum, neque suas consuetudines, tempore illo curet exercere, ob dictam causam. Sed ante cibū, quoniam ea uirium corporis robur augeri solet, auctore Galeno sexto, de locis affectis, capite sexto. Quippe & ea exiguos meatus expurgat, & excrementa pellit, & ob id dixit Galenus secundo, de sanitatis tutela, utilius est ante cibum exercitationem adhibere.

DE SOMNO, ET VIGILIA.

SI ambo somnum, uidelicet, atque uigiliam coniectari uoluerō, hoc sanè fieri secundum innati caloris motiones comperiam, ut ait Galenus, secundo aphorismorum, commento primo. Somnus quidem ad intima corporis, uigilia uerò ad exteriora calorem promouet, quam ob rē cum in somno multo natiuo calore ad intima uocato, exhalitibus multa quantitas capiti ingeratur, quibus fluxiones ad corporis inferiora, maximè ad cavitates thoracis, & pulmonis conducuntur, ut eodem loco dixit Galenus. Idcirco D. Tuum nollem multo gaudere somno, Quippe cum incremento fluxionis desuper ex diurno somno causa difficultatis spirandi concreascet, uitienturque totius corporis articuli, non ab re ipsum diurno somno omnino priuandum crediderim. Porro cum in uigilia spiritus à corde ad membra confluant, ut in illis congestos humores confocio calore attenuent, atque disrumpant, ob id eum maiori temporis interuallo uigilia letari uelim: Quo fit, ut si uetustam somni diurni assuetudinem habeat, sensim negligat, seruato Galeni documento secundo

do aphorismorum, commento quinquagesimo, non tamen superflue uigilet, cum uigilia superflua, & spiritus, & natium calorem debilitent, Quo fit, ut eius temperatura frigescat, & catarrhus concreascit, & lassitudo tristisque sensatio in omnibus membris progignatur. &c.

DE GAUDIO, ET TRISTITIA.

Cum nimio gaudio animata facultas ad exteriora fertur, si quid antea ei adfuerit roboris, dum exteriora petit, discutitur, atque dissipatur, ut nonnulli supra modum pusillanimes, repente sint mortui, auctore Galeno secundo, de causis symptomatum, Propterea gaudeat D. Tuus gaudio moderato. Porro eo non ita ualido motu, ac feruore fertur animata facultas ad exteriora, ut exoluatur, laxeturue. Quippe si quid ei roboris ante fuit, id detinet, quod continget si D. Tuus etiam moderatum in suis negotiis exercitium conducat, Porro gaudio delegato spiritu a corde consocio calore ad membra facultatis spirandi, fit, ut pituitosa humiditates thoracis uias, ac pulmonis obstructas dirumpat, atque exoluat, & hoc difficultatis anhelitus uitium admodum emendat, & per eandem rationem, & iuncturarum lassitudines tollit. Quippe & mœstitiam cauere debet, ipsa reuocante spiritum, & calorem ad cor, quo fit, ut exteriora algescant membra, quod sane nocuum est frigiditati, quam in exterioribus totius corporis D. Tuus percipit. & cet.

DE REPLETIONE, ET EVACUATIONE.

Non te admirari uellem Doctor Excellens, si uitiosam ciborum, atque potuum impletionem, quippe & malorum succorum simplici uerbo a me damnari dignosces, sane cogor id fateri, ob uerbum Galeni, primo aphorismorum, commento tertio, ubi ait. Cum enim uasa cibus, ac potibus fuerint supra modum repleta, periculum est, ne dirumpantur,

C O N S I L I V M

rumpantur, aut calor natiuus suffocetur, & extingatur. Proinde D. Tuus uictus ratione seipsum parce gubernet, neque cibus, potibusque admodum se repleat, cum enim ab affectione, qua laborat, quæ est præsentia fluxionis deorsum, a suffocationis periculo, & ab impedimento motus progressiui nequaquam ex multo cibo, potuque tutus est, Idcirco parce esitet, sorbeatque, ne eorum præsentia, delegata tamen fluxione ad uias pulmonis, pulsas a uentriculo, repleto spiritalibus membris, stranguletur, & subitaneo interitu necetur, Quod si huiuscemodi periculum præteribit, confestim in malorum succorum plenitatem uertetur, Quo fit, ut instrumenta spirationis & articuli omnes grauentur, capite admodum grauato. Igitur eius uentres implere non admodum sollicitus sit, magisque immoderate eos inanire non cogatur, aut cibi, & potus parsimonia, aut coitu superfluo omnes corporis uires, & suorum membrorum dilaniante, ac exterminante, ut recte dixisti longiori sermone, in tui mihi delata informatione, & ob hæc dicam nisi coitui parcat, certe & ex morbo, & ex eius symptomatibus in sua D. ex coitu concretescentibus, uitam cum morte commutabit. Aut sensim cum purgatorii medicamenti euacuatione, moderate euacuetur, ut postea dicemus. Multitudo etenim humorum euacuandorum, nisi ab illis modeste corpus inaniatur, omnia grauabuntur membra, & spirandi difficultas promouebitur. & cet.

M E D I C A T I O P E R P O T I O N E S.

CUm iam a nobis ostensum est, quali uictus ratione Nobilis Dominus Tuus uti debeat, alteram rem aggreddiar, quam morbi profligandi facultatem libro primo de sanitatis tutela, Galenus appellat, nempe quoniam eius morbus diutinus est, ut & plerique morbi longi, ob crassos, lentos ac frigidos fiet humores, quo fit, ut non facile
concoqui

concoqui possint, ut Galeni uerbum est, secundo aphorismorum, commento decimo nono. Quippe & in patientibus partibus impacti sunt, & conglutinati dicti humores. Ita quod eorum dispositiones magis præduris tumoribus, quàm inflammationibus assimulantur. Idcirco curationis scopus affectionis Domini tui, eadem medicari die, ueluti in acutis expedit morbis, nedum irrationalis, uerū, & fallax, atque periculosus est, auctore Galeno, primo aphorismorum, commento uigesimo secundo, quo fit, ut sensim huiusmodi affectum medicari opere precium sit, ueluti in præduris accidit tumoribus, Altero quippe die morbi causam concoquendo, altero uero' concoctum deiciendo, ueluti edocuit nos Galenus, primo aphorismorū, commento uigesimo quarto, & secundo, commento nono. Sanè igitur Doctor Excellens, mihi nullo porro' ducto errore persuadeo D. Tuum binis medicationibus per anni temporis spacium medicari oportere, una uernali, altera uero' autumnali tempore initiantibus. Quippe huiuscemodi erunt medicationes præcauentes morbum, qui futurus est, atque curantes illum, qui iam imminet, ut præcauendi, ac curandi morbum eodem scopo aggrediar: uenirem igitur a' te interrogandus Doctor Excellens, cum sermo habitus est a' Galeno, in libro introductio seu medicus, omnem ex plenitudine morbum, uel inedia, uel purgatione. uel uenæ sectione curandum esse, quo horum trium scopo hisce temporibus Dominus tuus initium curationis capere ualeat. Nempe dicerem cum sæpe fiat, ut affectio uenæ sectionem desideret, auctore Galeno, in libro de ratione curandi per sanguinis missionem, capite primo, & certe' D. tui affectio uenæ sectionem longè pellit, ob id quòd affectionis causa crassus, atque glutinosus, & frigidus humor existit, igitur initium curationis illius a' sanguinis missione assumere nequaquam auderem, dicente Galeno nono methodi curatiuæ ad finem uerbum hoc,

cuiq;

cuius morborum sua est curationis indicatio, quippe a calido indicatio est infrigidandi, a frigido uero calefaciendi. Porro indubitato sanguinis missio, ut in se est, totum infrigidat corpus, auctore Galeno in libro, de uenæ sectione, & D. Tuus non ulteriori indiget infrigidatione.

Initio igitur ueris pereunte D. Tuum medicamentis purgari iubeo. Porro purgationibus est id tempus, auctore Galeno in libro, de sanguinis missione admodum idoneum. Verum quoniam Hippocrat. nos edocuit, secundo aphorismorum, nono, & Gal. primo aphorismorum, commento uigesimo quarto. Vbi uidelicet, quis corpora purgare uoluerit, oportet fluida facere. Mihi nempe assuetudo est fluidum in primis corpus efficere medicamento a latioribus uis excrementa eiiciente, ne a prauis eorum flatibus principalium uires offendantur, & imbecilliores effectæ proximam morbi causam consocio adhuc calore coquere nequeant. Primum igitur uesperis priusquam uentriculum impleat, deuoret quod sequitur, floridæ cassiæ recentur eductæ drach. x. accipito, betonicæ in subtilem puluerem ductæ, drach. i. & med. ei misceto, & bolum conficito. Altera uero succedente die priusquam solis ortus ad nos pertingat, antidotum hanc D. Tuo commodam dicimus, atque septem non intermittentibus diebus potandam, ac tepidam tribuas, crassos sane, ac glutinosos humores concoquit, attenuat, & disrumpit, caputque & neruos, & totius corporis articulos admodum iuuat. Recip. Radicum acori, stæcados, herbæ paralytis, fatureiæ, maioranæ, saluiæ, calamenti, mentastri, origani, de quolibet quantum manus capere potest accipito, radi. endiuia, buglossi, fœniculi de qualibus. Vnc. med. sumito, de iuiubis, & sebesten æqualiter numero. x. de glyciriza munda, & de passulis æqualiter. Vnc. med. accipito, ex his conuenienter coctis cum melle, uel zuccharo fiat syrupus. Demum cinnamomi, gariophyllorum, cubeborum nucis myristicæ, sem. pæonia,

niæ, piperis nigri, piperis longi, spicæ, zinziberis, anisorum de quolibet. scropul. i. accipito, & in subtilem puluerem cōducito, & in syrupo ebulito in panno lineo ligato, & colato. Eo igitur sic utere, syrupi dicti. Vnc. i. oximellitis. Vnc. med. syrupi de glyciriza. drach. vi. accipito. Aquam betonicæ, lupulorum, & scabiosæ cum dictis permisceto, & potui dato.

Coeterum octaua die indiciis quippe concoctionis apparentibus priusquam nox e' tenebris ad lucem uertatur sequenti medicamento purgato. Recip. florum boraginis, buglosi, stæcados arab. betonicæ. ana. manip. med. corticū mirabul. rub. & indorum ana. dra. iii. Agarici optimi ligati in petia. drac. ii. bulliant omnia in sufficienti quanti. aquæ, cum qua dissolue diasebesten lenitiui. Vnc. i. confect. dactylorum. drac. ii. & med. reubarbari optimi. drac. i. & med. spicæ. grana. vii. reubarbarum, & spicam subtiliter incide, & in puluerem uerte, & cum modico uini odoriferi ipsum irrorabis, & omnia hæc dissolue, & fac potum, quem patienti dato. Vbi uerò medicinarum potiones gustum D. Tui perturbarent, iuberem ipsum sequentem bolum ingurgitare. Agaricum in oximellite paratum, pondere drac. i. Turbith boni tantundem, Reubarbari. scropul. iiii. spicæ. grana. vii. pulp. feb. Vnc. med. zinziberis recentis. dra. ii. accipito, omnia misceto, & in bolum conducito. Vbi uerò liberius pilulas deglutiret, erunt D. suæ commodæ, & peridoneæ quæ sequuntur pilulæ. Reci. Pilulas cochias almansoris, pilulas de agar. mesue, pilulas aureas Nicolai, cuiuslibet pondere unius scrop. Reubarbari. scro. med. spicæ grana. ii. ex his cū syrupo de stæcade pilulas. v. cōficito, & dato. Vel sic Recip. specierum ieræ simpl. scro. ii. agarici præparati. drach. i. Reubarbari electi scrop. i. fiant pilulæ. v. cum succo rosarū, quas capiat post mediam noctem, & dormiat ad placitū, donec lux diei apparuerit. Cæterum eo temporis interuallo, quo totum uernum tempus finietur, uno cuiuslibet septi

manæ die, in noctis medio iuberem D. suam, unam de sequentibus pilulis deglutire. Recip. Turbith boni, agarici electi ana. drach. ii. ellebori nigri præparati, drach. i. reubarbari electi, drach. i. & med. zinziberis, spicæ ana. grana. x. sem. citrii, drach. med. specierum ieræ simpl. Galeni. Vnc. i. ex his omnibus in subtilem puluerem ductis, addito elect. ros. mes. conducatur pasta pillularū. Dosis est pilula. i. scropul. pro uice. Nempe ueni interrogandus ab Excellentia tua si priusquam tempus uernale, terminum suum possideat, nonnullæ apud Italiam naturales thermæ sint D. suæ perutiles. Huic dicere audeo, si præceptis salutaribus Galeni, & Principis assentire cupiam, quæ ex naturali minera sulphurea, atque aluminosa, nitrofaque, aquæ scaturiunt, indubie ei peridoneæ sunt. Quod si gallicam dispositionem aufugerit, D. sua, & semper ab ea immunis fuit, certè & ut potentur digna balnea illa esse consentirem D. suæ. Vbi uero D. sua aliàs Gallica affectione fuisset affecta, experimēto edoctus fui, huiuscemodi aquas potatas admodum noxias esse. Vbi uero eas aquas ad contexturam coronalem ex alto cadentes sua D. suscepit, ei insigne præsidium aduenire sanè nequaquam ambigam, quippe his exquisite peractis, illis uero seruatis, quæ ipsi, & simili aquæ cadenti obseruiunt, congruuntq̃. Igitur intrepida fronte iuberē, priusquam uernum tempus à nobis effugiat D. suam huiusmodi sulphureas, ac aluminosas thermas aggredi, ob crassos, & glutinosos humores D. suæ caput tenentes, & ad inferiora membra irruentes, & ea possidentes uaria uitiorum genera eadem perturbant. Horum quippe capitis crassorum humorum, & pituitosorum, maximum remedium est, eos destruere, & consumere. Porro hoc fit per attenuantia, & abstergentia medicamenta, atque exsiccantia, auctore Galeno septimo, de compo. med. s. l. capite tertio. Quale est sulphur, ut dixit Galenus nono, simplicium medicamentorum. Verum eam aquam ad contexturam coronalem

ab alto cadentem, ualentius suscipere iubeo, quo fit, ut fluxioni fouenti, quod in D. sua iam uetustum est, salutare remedium conducatur, eo enim occursum quod frigidum est, calido alterabitur, & concoquetur, quod crassum attenuabitur, atque capitis uires inualescent, ut pituitosum humorem non progignat, procreatumque soluat, quo fit, ut a fluxione animalis facultatis organa, non grauentur, conseruabiturque memoria, ipsaque amissa recuperabitur. Si etiam aliquando, aqua cadens ab alto naturalis thermæ nucham percusserit.

Nempe thermæ conuenientes D. suæ, quæ apud nos, & suæ D. commodæ sunt, & conuenientes, maxime sunt quæ in comitatu Patauino sitæ sunt, ut abani, & sanctæ Helenæ. In comitatu uerò Lucano Balnea sunt de Corsena, admodum D. suæ idonea. In comitatu Senensi Balnea de Pitriolo, & Sancti Philippi mirabile afferunt iuuamentum, Balnea uero porretana, quæ in comitatu Bononiensi reperiuntur, longè fugiat, quoniam expertum est, ea in catarrho admodum noxia esse, si in potu patienti contribuerentur, ob enim earum uigentem caliditatem eliquant capitis materias, & inferiora membra offendunt. Neque in his Ducia est consueta propter id, quòd caput uigentis caliditatis suæ impressionem tolerare nequit.

Ob errata, quæ in uictus ratione contingunt, non modo morbi fiunt, uerum & ab anni temporibus, quorum naturæ atque mutationes morborum naturis affines sunt, auctore Galeno, tertio aphorismorum, commento decimo nono. Quippe cum hyberno tempore cerebri affectiones uigere solent, auctore Hippocra. tertio aphorismorum uigesimo tertio, non ab re autumno procedente Dominum tuum iterato purgatoriis uti medicamentis, ut ab initio curationis exposui facile iuberem. Quam ob rem, cum autumnus tempus ad nos adierit, eam septenis infra scriptis forbitioibus, nequaquam intermittente die priusquam no-

C O N S I L I V M

bis sol elucescat, uti uelim. Recip. Syrupi de stæcade cum speciebus, syrupi de hyssopo, syrupi rosati. ana. Vnci. med. aquæ betonice, scabiosæ lupul. ana. Vnc. i. misce, & potui dato. Cæterum cum concoctionis indicia appa- ruerint, sic purgato, Pilulas cochias almansoris. pillulas de iera nicol. cuiuslibet scropulum unum accipito. Pillu- læ de agarico Mesue, drachmam mediam, quibus duas u- nius scropuli partes reubarbari, misceto, cum spicæ gra- nis. ii. & pillulas quinque conficito, & ante lucem exhibe- to. Hyberno uero tempore succedente quod experien- tia frequentius didici, id D. suæ salutare præsidium esse non ambigo. Videlicet, si octo dierum temporis interual- lo terebentina semel atque iterum non impleto uentricu- lo D. suæ propinetur. Cuius mensura sex sit drachma- rum. Vidi hoc a Galeno libro quinto, de tuenda sanita- te, ubi ait. Similiter & terebinthi resina sumitur autem aliquando nucis ponticæ magnitudine, aliquando dua- rum trium uè, quippe non modo aluum soluere citra no- xam potest, sed etiam uiscera omnia, iecur, lienem, renes, pulmonemque abstergere.

Postremo uenirem ego interrogandus, si quippe his, quæ prædiximus nullum aperte iuuamentum laboranti succedat, an aliquam illius corporis particulam urere ido- neum sit, Nempe neminem ambigere uellem opus illud, quod manu posita a nobis efficitur, postremum medici- næ prisca appellitant. Porro si iis, quæ in uictus ratio- ne, præcedente sermone conscripta sunt, nullum Domi- natio sua præsidium palam concapescat, minusque his me- dicamentorum potionibus, & thermarum applicati- bus indubitato iubeo duas, uel alteram earum particulas urere peridoneum fore, Quippe sit uestio prima in contex- tura coronali, ut in loco opportuno, Quod si eam pati no- luerit, dico quod a me expertum est, si deorsum in cru- ribus fiat, a genu distantior, spacio digitorum quattuor
inter

inter duos illius musculos in parte syluestri, in sine iuua-
 mentum D. suæ associabitur, quippe & hæc uia est ad præ-
 sentes morbos D. suæ curandos, & futuros præcauendos,
 Nempe enim hac uestione facta humores, qui caput, &
 neruosas corporis partes occupât ad exteriora eo forami-
 ne conducuntur, & euacuantur, auctore Galeno sexto
 Epidemi, ad illius bene merentis gloriam, qui nos guber-
 nat, & custodit. &c.

FINIS.

Benedictus Victorius Fauentinus ita con-
 sulebat dum in Gymnasio, Patauino
 medicinæ theoreticam, primo
 in loco ex ordine pro-
 fitebatur.



AD MELANCHOLIAM;

Pro nobili quodam iuvene equite,
cui nomen Honorius.

Consilium XV.



Nobilis quidam Eques nomine Honorius uigesimalium quintum annum suae aetatis agens, mala sui succedente fortuna, corripitur melancholia cum mutationem extimationum, & cogitationum a cursu naturali patiatur, & huius melancholiae causam continentem puto esse humorem melancholicum, uel eius fumum multum in quantitate, aut corruptum in substantia peruertentem, ac perturbantem cerebrum, & uirtutes eius a suis operationibus, & propter hoc credit se loqui cum deo, & angelis, & omnia praescire, & credit se esse deum, imperatorem, & regem, & multa alia, quibus mouemur ad concludendum huius melancholiae causam fore ab humore melancholico, uel eius fumo recepto in media cellula cerebri, quoniam mutationem habet cogitationum, & extimationum a suo cursu naturali, quae arguit uitium, & nocumentum mediae cellulae cerebri, & quoniam intelligo nobilitatem suam ante hanc aetatem biliosae temperaturae fuisse, cum admixtione insignis quantitatis sanguinis, concludam melancholiam peccantem in eo fore per adustionem bilis, quae si solius fuisset cholerae, conduxisset ipsum ad maniacam confidentiam, sed quoniam benignitate sanguinis corrigitur acuitas cholerae. Ideo est, quod & si a cholera adusta, talis adustio non tanta fuit, ut excitaret ipsum ad illam maniacam confidentiam, & sic erit sua melancholia corruptio uirtutis animalis ex humore melancholico, uel eius fumo in cerebro dominante sine febre
& forte

& forte cum timore aliquo.

Dum tamen audierim procatharticas aliquas causas præcessisse, a quibus facile potuit uirtus animalis permutari in suis operationibus a cursu suo naturali, & præcipue cum multum tempus durauerit, indulgebat enim in sui adolescentia amoribus, aliisque diuinandi artibus magicis, hisque scientiis, & dæmonum conuocationibus assiduo operam dabat. Quarum rerum fixio cogitationem permutat, & extimationem a suo cursu naturali, Et hoc frequenter est inuentum in zelotipis mulieribus, sicut dixit Galenus primo prognosticorum, commento nono.

Huius namque horrendæ affectionis salutaria remedia a nobis sunt inquisita. Et ut huic petitioni pro uirili ex conscientia satisfaciam tria curatiua proponam instrumenta. Primum est uictus ratio, secundum est medicinarum exhibitio. Tertium est opus manuale. Quantum igitur ad primum instrumentum, dico quod auxilia maxime ei conuenientia sunt, quæ humectant, & calefaciunt, non tamen ultima humectatione, cum qua stat turbulentia, & crassities humorum, quoniam ex his calidis, & humidis multum nutrimentum adgeneratur oppositum morbo, qui frigidus est & siccus, ex eo quoque alimento clarificatur sanguis, & conuenientis modi substantiæ generatur, ex quo spiritus subtiles, & clari procreantur recte deseruiens uirtuti animali. Et ideo laudo, quod panis eius sit de flore farinæ, qui ultra hoc, quod bonum generat chymum facile permeat, & non est flatuosus, sanguis enim ex eo genitus, subtilis, & clarus, optime seruiens generationi spirituum debite seruientium uirtuti animali pro operibus suis.

Vinum uero eius non sit ualde aquosum, cum non deseruiat cordi pro rectificatione spirituum, sit igitur uinum album mediocris facultatis, magis tamen participas aliquo aromatico, & suauis sapore, quam aquatico, & bibat

·CONSILIVM·

bat ipsum merum non aquæ permixtum.

Carnes eius non sint frigidae, & siccae humoris melancholici generatiuae, neque sint ualde humidae neque aquaticae, & propter hoc non conueniunt animalia degentia in aquis, & maxime in paludibus, & stagnis, non currentibus, quoniam eorum humidum excrementitium est, crassum, & glutinosum, & ideo non conueniunt ei anseres, anates, & genera piscium habitantium in uallibus.

Pisces autem de libero mari non admodum grandes, propter non esse admodum excrementitios ei non sunt nocui. Caro bouilla, leporina, pecorina, est ei admodum contumax. Caro uero perdicum, fasianorum, francolinorum, gallinarum oua non parientium, gallorum non coeuntium, pullorum columborum, turturum, omniumque auicularum in arboribus degentium, sunt ei proficuae, praecipue, si condiantur cum radicibus buglossi.

Oua sorbilia recentia sunt admodum ei conuenientia impingunt enim calidum, & humidum alimentum progignentia, & idoneum generationi sanguinis subtilis, & clari, ex quo spiritus generantur, in quibus uirtus animalis delectatur, & ut generaliter dicam cauenda a nobilitate sua sunt, quae ad frigidum, & siccum declinant, de quorum proprietate est humorem melancholicum generare, de quibus dictum fuit a Galeno sufficienter tertio, de locis affectis, capite octauo. Ideo uituperamus omnes carnes quadrupedum, magnorum, & antiquorum, cum temporis diuturnitate factae pronae sint ad generationem humoris melancholici, & propter hoc non concedimus ei salitas carnes, & eodem cursu currunt saliti pisces, omnes ei mali sunt, cum humorem generent melancholicum, & hac ratione prohibemus ei oliuas, & cappares, cum sint in extremo generationis melancholiae.

Caseus quoque antiquus, omnium leguminum genera, praecipue lentes sunt ei contumaces, & hoc ideo quo-

niam

niam cibus ei peridoneus debet esse humectatiuus.

Olera uerò omnia certè ei prohibeo, præter buglossum, & lactucam, & præsertim, si cum aceto condiantur. Acetum enim contumax est humori melancholico. Laudo quoque quod si pisces comedere uoluerit, atque carnes, fugiat eas tostas, & in patellis frixas, cum sint ad generationem melancholiæ promptæ.

Vitet quoque Nobilitas sua aerem frigidum, cum eius natura sit humores corporis nostri cogere, turbidū quoque, & crassum aerem, cum hæc ducant ad humorem melancholicum generandum.

Non laudo forte exercitium, nec superfluam uigiliam, & ideo plus delectetur somno, quàm uigilia. Superfluo etiam coitu corpora nostra exsiccantur, laudo tamen, ut usu moderato utatur coitu, quoniam membrorum omnium, & præcipue animalium facultates, tunc plerumque a multa materia grauantur, uel a malis fumis oblesæ, hylares & iucundæ redduntur, & spiritus quodam modo uiuificantur uirtuti animali debitè obediens caueat quoque Nobilitas sua repletionem, quoniam ea naturales uirtutes perturbatæ idoneum nutrimentum adgenerare nequeunt. Quo fit, ut intestinis repletis, & stomacho, ab his comunicetur materia ipsi mirach, quæ propter esse in loco generationis melancholiæ, facile uertetur in humorem melancholicum. Consulo quoque, ut cum amicis sibi familiaribus gaudeat, & lætetur, assiduitas enim lætandi præparat ad lætitiã, & ad fugam timoris, & melancholiæ. Et hæc de primo instrumento.

Secundum instrumentum est, curatio per medicinas, quæ completur triplici intentione, una generali euacuatione, quam phlebotomiam nominamus. Altera uerò cõcoctione materiæ peccantis, & abundantis, tertia uerò cum euacuatione propria, & corroboratione membrorum.

In prima intentione non laudo incisionem sanguinis

C O N S I L I V M

ex uenis superioribus cubiti dextri, uel sinistri, cum talis in frigidet, & exsiccet, & regimē medicinale nobilitati suæ debet esse calefactiuum, & humectatiuum, cum etiam ægritudo facta est diuturna, ubi humores ad terrestritatem uersi sunt ideo prædicta phlebotomia nunc temporis non est bene tuta ex uenis prædictis. Vbi tamen quæreremus euacuationem sanguinis turbulenti, & crassi, usque ad hanc horam progeniti, qua etiam nedum humores, uerum, & uapores à superioribus retrahuntur, ob hoc admodum laudarem apertionem uenarum hæmorrhoidarum, propter dictum illud Hippocra. Melancholicis, & nephreticis hæmorrhoides innatæ bonæ. Quòd si forte fortuna nobilitas sua admitteret appositionem hyrudinum hæmorrhoidibus, præcedat eam clystere lenitiuum tale, uide licet. &c.

Recip. Decoctionis hordei, betæ, maluæ, mercurialis buglossi, polypodii, lib. i. Diasenæ lenitiui. Vnc. i. olei uiolati. Vnc. iii. zucchari rube. mellis rosati col. ana. Vnc. i. & med. salis comunis. drac. ii. uitelli oui, numero. i. & iniiciatur clystere.

Facta uero sanguinis missione per hæmorrhoidas cum quiete unius diei prope diluculum, consulo, ut capiat sequentem potum more medicinarum, uidelicet.

Recip. Diasenæ lenitiui, drachmas decem, dissoluatur cum decoctione florum cordialium, polypodii, epithimi, & buglossi, & exhibeatur, sequenti uero die laudo, ut concoquatur materia cum sequenti syrupo, uidelicet.

Recip. syrupi de pomis, buglossi, satureiæ, ana. drac. vi. aquarum buglossi, cicorii, mellissæ. ana. drachmas decem misce.

Continuatis uero per septem continuos dies his syrups laudo, si alius adstricta fuerit in his diebus alternatim fiat clystere præscriptum, octaua uero die cum signa completæ digestionis non est necesse in morbo sic diuturno ce-

leriter

seriter apparere. Ideo leui quodam medicamine purgetur corpus sic uidelicet.

Recip. Diasenæ lenitiui. Vnc. i. confectionis hamec. dra. iii. solue hæc cum decoctione prædicta, cui addatur aliquid epithimi.

Et quoniam in diuturnis morbis, in quibus materia unica digerentium digestionem non digeritur complete, ideo consulo, ut pedetentim concoquatur materia, & pedetentim euacuetur, semper eleuando gradus qualitatum medicinarum. Secundum quod magis appropinquabimur digestionem humoris, & fortiori euacuationem illius. Iterato igitur digeratur materia, sequenti syrupo, uidelicet.

Recip. Syrupi de epithimo, syrupi de buglosso, ana. Vnc. i. Aquarum buglosi, lupulorum, melissæ. ana. Vnc. unam, misce, & aromatiza cum helleboro nigro præparato.

His assumptis syrupis per septem dies, capiat sequentes pillulas. Recip. pillularum indarum, drachm. med. de lapide lazuli, scrupul. ii. hellebore nigri præparati, scrupul. med. misce, cum syrupo uiolato fiant pillulæ numero quinque.

Et post has euacuationes, laudarem, quod omni septimana per tres dies caperet infra scriptum syrupum in diluculo, uidelicet.

Recip. Syrupi de pomis compositi. Vnc. ii. aquæ decoctionis polypodii, & rad. buglosi. Vnc. iii. misce pro una uice.

Quarta uero die, laudarem, ut prope diluculum caperet infra scriptum bolum. Recip. ieræ simpl. Galeni. Vnc. med. epithimi subtiliter triti. drach. ii. cum succo buglosi fiat bolus.

Consulo quoque, quod etsi capiat omni septimana dictum bolum. In omni mense etiam, capiat semel illas pil-

C O N S I L I U M

lulas dictas, uel in minori dosi secundum quòd suo exper-
to, & docto medico uidebitur.

Et quoniam in hac ægritudine intentio medici est pro-
curare generationem spirituum uirtuti animali amicabi-
lium, & recte illi deseruientium, & cum radix & minera
generationis spirituum sit cor, ideo debet medicus in isto
morbo seruare, & gubernare facultatem cordis, ut bonos
spiritus, & idoneos uitales possit cor condonare cerebro
ad generationem spirituum animalium, & ideo laudo,
quod cordis facultas roboretur sequenti epithimate, ui-
delicet.

Recip. aquæ buglossi, boraginis, rosarum ana. lib. med.
sandalorum alborum, & rubeorum, corallorum alborum,
& rubeorum, sem. rosarum rubearum, ossis de corde cerui
ana. dra. i. croci, scrop. i. camphoræ, gran. ii. uini cretici, aceti
optimi. ana. Vnc. ii. terenda teratur in puluerem, misce pro
epithimate cordis.

Quòd si nobilis hic patiens noluerit pati tale epithima
cordi, sequens inunctio fiat.

Recip. olei nymphææ luteæ, Vnc. iii. pulueris florum
eiusdem. drach. ii. sandalorum rub. corallorum rubeorū,
sem. acetosæ. ana. scrop. i. margaritarum, ligni aloes, ossis de
corde cerui. ana. scropul. med. camphoræ grana. iii. pulueri-
zantur puluerizanda, & cum cæra alba lota cum aqua nym-
phææ luteæ quantum sufficit, fiat unguentum molle.

Caput quoque roboretur, cum sit membrum recepti-
uum malarum impressionum. Igitur laudo, quod a me
in consimili casu est bene expertum, quòd capite abrafo
foueatur locus commissuræ coronalis cum sequenti de-
coctione calida, mane tantum, si uero fuerit possibile ma-
ne, & uesperis. Recip. capitum castratorum bene expur-
gatorum, & mundatorum numero. ii. Viscerum castra-
ti numero. i. rosarum rubearum, florum chamæmeli, be-
tonicæ, maioranæ, florum stacados arabici, ana. Manipu-
los

los .iii. bulliant in lib. centum aquæ currentis, usque ad consumptionem medietatis aquæ, deinde coletur, & colatum usui reseruetur, renoueturque decoctio omnibus duobus diebus.

Laudo quoque, ut quotidie fiant diuersiones, quæ per fricationes, & lotiones fiunt, lotiones autem sint tales, & multum proficiæ. Recip. florum chamæmeli, florum anthos, florum stæcados arabici, rosarum rubearum, maioranæ, betonicæ, calamenti, pulegii. ana. Manipulum. ii. bulliant in suffic. quantit. aquæ usque ad consumptionem medietatis, & residuum sine colatura usui reseruetur, balneando a genu usque ad pedes, & a cubito usque ad manus.

Laudo quoque, ut etiam per intus cor, & cerebrum roboretur, & propter hoc consulo, ut cottidie uesperis in ingressu lecti capiat sequentem potum. Recip. succi radi. buglossi, Vnc. ii. zucchari albissimi. drach. ii. misce, & potui detur. Mane uero, & præcipue diebus illis, quibus nullam aliam cœperit medicinam, capiat sequentem bolum. Recip. Triferæ de epithimo descriptionis mesuæ. In capite de melancholia, drach. ii. fiat bolus, & detur. Vbi uero non haberetur uia, ut nobilis patiens propter amaritudinem Triferam capere noluerit, laudo, ut loco eius capiat bolum. Vnc. med. infra scripti ellectuarii, quod mirabile, & in isto casu indubitato conferens. uidelicet.

Recip. Corticum citrii, zedoariæ, daronici, carabæ, corallorum rubeorum, ana. drachmæ .i. Serici crudi minutim incisi been albi, & rubei folii, spicæ, cardamomi, gariophyllorum, anthos, calami aromatici. ana. drachmas tres, ossis de corde cerui, Margaritarum perforatarum, & non perforatarum, Rubinorum, Iacinthorum, Smaragdorum, sem. sampfuci, stæcados arabici, ana, manipulum unum, auri bractearum, scobis argenti. ana. drachmam mediam, floris buglossi, tormentillæ, styracis,

CONSILIUM XV.

racis, calamitæ, spodii, sem. basiliconum, macropiperis, ana. drach. med. Moschi fini, ambrae optimæ. ana scrupul. i. zucchari quant. suffic. fiat ellectuarium, & hoc de secundo instrumento.

Quantum uero ad tertium instrumentum, consulo super id, quod a me in consimili casu expertum est, ut omnibus prædictis obseruatis, & præsertim quoad euacuatio- nes fiendas, conducatur cauterium actuale in crure sini- stro infra genu distante ab eo quattuor digitis in parte syl- uestri intra duos musculos, omnes enim humores a toto corpore mali ad prædictum cauterium conducuntur, au- ctore Galeno, in sexto Epidimiarum igitur. &c.

Benedictus Victorius Fauentinus ita consuluit

M D XXXIX. in Academia Bo-

noniensi primo loco ex ordine pra-
ticipam medicinam legens

